ANALECTA SCENICA.

SCRIPSIT

TH. LADEWIG.

STRELITIA NOVA,

APUD G. BARNEVITIUM.

MDCCCXLVIII.

Typis exscripsit Carolus Gley aulae typographus.

Quamvis multis multorum hominum doctorum studiis id effectum sit, ut abjectis quae de tragoedia Latina ante ferebantur, opinionibus rectius jam de summis Romanorum poëtis tragicis sentiatur, tamen quum neque de poëtis Graecis, quos vertendos sibi sumpserint poëtae Latini, neque de ratione, qua Graecorum fabulas verterint, satis constet, nequaquam omnia sunt transacta. Neque id mirum; admodum enim pauca sunt, quae scriptores veteres de his rebus prodiderunt; fabulae ipsae autem ita perierunt, ut laciniae, quae supersunt, minime tantum lucis afferant, quantum satis est ad omnes difficultates, quibus hae quaestiones obvolutae sunt, tollendas. Jam quum perraro veteres ipsi nos docuerint, ex quibus fabulis Graecis conversae sint fabulae Latinae, aut ex fragmentis id cognoscere studuerunt homines docti, aut his nihil indicantibus nomen ipsum, quod poëta Latinus fabulae indiderit, sufficere ad id cognoscendum putaverunt. Quamquam neque hoc neque illud rem ita absolvit, ut nullus dubitationi relinquatur locus; fragmenta enim, quamvis ad verbum nonnunquam cum versibus Graecis conspirent, et magnam suspicionem moveant, fabulam Graecam a poëta Latino versam esse, tamen nequaquam rem ad liquidum confessumque perducunt. Quis est enim, quin videat, sententias esse, quae in multis fabulis locum inveniant suum, et fieri potuisse, ut poëta Latinus eas aut prudens ex aliqua fabula plane alieni argumenti traduceret aut imprudens id proferret, quod menti inhaereret. Quod non solum fieri potuisse, sed etiam re vera factum esse, luculento aliquo edocemur exemplo. Fragm. I ex Ennii Thyeste: „Adspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Jovem," quis non videt ad verbum fere expressum esse ex Eurip. fr. inc. I:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

quare Valckenaerius, Welckerus, alii non dubitaverunt, haec verba Cressarum fragmentis adscribere; quos quis sequetur, ex quo Schneidewinus docuit N. Mus. Rhen. IV p. 146 esse illos versus ex Antiopa fabula? Quodsi unus versus fabulae Latinae congruens cum fragmento aliquo fabulae Graecae, licet non parvum momentum afferat, tamen non sufficiat ad origines fabulae Latinae indagandas, multo minus tribuendum est titulis fabularum. Qui enim reputaverit, quantus sit numerus fabularum Graecarum, quae ita interierint, ut ne titulos quidem cognitos habeamus, videbit, quam nihil huic argumento

sit dandum. praesertim si meminerit, tum non paucas fabulas et Graecas et Latinas duplices habuisse titulos, tum fieri potuisse, ut, quod fuerunt qui statuerent, poëtae Latini fabularum quas verterent nomina mutarent. His rebus ita comparatis plane desperandum esset, fore, ut unquam de his rebus quid certi constitui posset, nisi Cicero nos docuisset, poëtas Latinos potissimum sibi summos illos Graecorum poëtas tragicos, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sumpsisse, quos imitarentur. Qua voce Cicero ut lucem his quaestionibus attulit, ita magnos multosque errores diffudit; sed illud Ciceroni debemus, hoc nostra culpa factum est. Nimirum quum legerent verba illa Cic. de orat. III, 7, 27: „Atque id primum in poëtis cerni licet, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Attiusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur," — animum induxerunt, ut crederent, quemque poëtam Latinum sibi sumpsisse poëtam Graecum, quem verteret, et quum a veteribus Attio animosum os, sanguinem et vires, Pacuvio prudentiam tribui viderent, Ennium autem se ad Euripidem composuisse legerent, factum est, ut, quamvis Scaliger, cujus verba infra apponam, multo meliora docuisset, eam sibi animo fingerent sententiam, cui Bergk. de fab. Soph. p. 26 his verbis patrocinatus est: „Ennius omnes propemodum fabulas, quod sciam, ex Euripideis transtulit, quod illius fabulis maxime delectabatur, quem adsequi se posse intellexerat. Attius autem, ut erat animo generoso atque magnifico, ita saepissime Aeschyleae musae vestigia secutus est: Pacuvius, qui ingenio leniore fuit, severitatemque apte temperavit venustate, Sophocleas fabulas sumsit, quas in Latium transferret." Cui sententiae recentissimis demum temporibus exstiterunt, qui obloquerentur, Schoellium dico et Hartungum, quorum ille in libro, quem de tragica Graecorum poësi composuit I, p. 318—21 non solum ostendit, infirmas esse rationes, quibus nixi contenderint homines docti, Attium Aeschyleas potissimum fabulas expressisse, sed etiam demonstravit, haud raro Sophoclem sibi elegisse, quem sequeretur; Hartungus vero quum in Bergkii et Caesaris ephemerid. 1842 p. 830 contendisset, Attium non minus viginti duas fabulas Euripideas expressisse, id in Eurip. rest. II, p. 578 ita retractavit, ut duodeviginti fabulas ex Euripide versas esse statueret. Ac negari nequit, Schoellium et Hartungum hac in re rectius sensisse, quam Welckerum, qui quamvis ipse novem modo fabulas Attianas ad Aeschylum, sedecim ad Sophoclem, sex ad Euripidem retulerit, nihilo tamen minus illam inveteratam sententiam de Attio perpetuo Aeschyli assecla fovit, quod tantum abest, ut probem, ut contendam, omnino nullam fabulam Aeschyleam ab Attio expressam esse. Quod ne calidius dictum putes, age, inquiramus in causas, quibus motus Welckerus novem fabulas Attianas ex Aeschylo conversas esse statuit. Ac primum quidem in quaestionem vocetur fabula, cui Welck. nomen dedit Persis, quo nomine Aeschylum fabulam scripsisse nemo usquam memoriae prodidit, sed mera est Welckeri conjectura, qui quum duobus locis verba ex

Aeschyli *Πέρσαις* laudata vidisset, quae in hac fabula non inveniret, statuit, aliam fuisse Aeschyli fabulam Trojae excidium complexam eamque appellatam esse *Πέρσις*. Ut autem Aeschyli *Πέρσις* se ipsa origine sua perdit, ita verendum est, ne Attii Persidi idem instet excidium. Ut enim Aeschyli *Πέρσις* Graecis incognita, ita Attiana Romanis erat; unus Priscianus isque uno loco duos versus ex fabula Attiana affert, cui nomen fuerit Persidae, quod nomen Welckerus in Persis mutavit. Neque vero in eo acquievit Welck., sed quum etiam Troades Attii a grammaticis laudentur, statuit, Troades et Persin nihil nisi diversa ejusdem fabulae nomina fuisse. Sed ut concedamus Welckero, scripsisse Aeschylum fabulam, cui iste titulus fuerit, ex tota fabula nihil nisi unus versus servatus est. Quid igitur etiam nunc Welckero statuenti, Attii fabulam Troades sive Persidem expressam esse ex Aeschylea *Πέρσι*, assentieris? Sed accedamus ad reliquas Attii fabulas, quas Welckerus ad Aeschylum auctorem refert. Atque Attium neque Prometheum, neque Argonautas scripsisse, infra probabo: Philoctetam, auctore Quinctil. V, 10, 84 recte Hartungus ad Euripidem auctorem retulit; in Armorum judicio Attium non secutum esse Aeschylum, ex eo colligi potest, quod Aeschylus *Ὅπλων κρίσει* nihil nisi armorum judicium tractavit, Attius autem Ajacis insaniam et mortem adjunxit. Telephum ex Aeschylo expressam esse ex eo concludit Welckerus, quod quum Ennius Telephum Euripidis verterit, Attium Aeschyli vestigia pressisse verisimile sit, quae causa Hartungum non deterruit, quominus statueret, praeter Ennium Attium quoque Euripidis fabulam expressisse, cujus rei causam hanc affert, quod Attius fr. 2 versus aliquot Euripidis (fr. 61 ed. Dind.) interpretatus sit, sed hos ipsos versus ex Eur. Telepho esse Hartungus ex imitatione Attii conclusit, quum Welck. eos ad Oeneum, Wagnerus ad Inonem referat, et omnino concedere debeamus, versus, qui tam communem sententiam praebeant, in quavis fabula locum invenire potuisse. Restant Attii Epinausimache, Myrmidones, Achilles, quibus fabulis expressas esse Aeschyli Myrmidones, Nereides, Phryges statuerunt Welck. et Hermann. Opusc. V, p. 136—63, neque tamen reputavisse videntur, Nereidum Aeschyli tam pauca fragmenta superesse, ut quod hujus fabulae argumentum fuerit nisi adhibitis Attianae Epinausimaches fragmentis cognosci non possit, Myrmidonum argumentum quidem cum fabula Aeschylea convenire, sed ab aliis quoque poëtis Gr. tragicis exornatum esse,*) nec quidquam obstare, quominus statuamus, Myrmidones et Achillem eandem fuisse fabulam, a grammaticis, ut saepius fieri videmus, diversis nominibus laudatam. Quodsi facilius demonstrari potest, Attium nullam Aeschyli fabulam vertisse, quam plerasque interpretatum esse, non multo

---

*) Ad hanc fabulam retulerim fr. neglectum adhuc, ut videtur, apud Cic. p. Mur. 29, 60: „Non multa peccas, inquit ille fortissimo viro sapientior magister, sed si peccas, te regere possum," (cujus partem apud Quinct. VIII, 6, 30 invenies) quod Attianae fabulae fr. 3. Achillis verba continere videtur, quibus apte Phoenicis criminationes repellens orationem ita ordiatur:

Ego me non peccasse plane ostendam aut poenas subferam.

firmiora sunt Hartungi argumenta, quibus probare studet, Attium secutum esse Euripidem, quod etsi concedo de Philocteta, movet me enim auctoritas Quinct. V, 10, 84, de Phoenissis et Bacchis, fragmenta enim id suadent, de ceteris assentiri non possum, quum Hartungus plerumque hanc unam afferat causam, a solo Euripide, quod sciamus, idem argumentum tractatum esse. Sophoclem denique secutus est Attius in Epigonis auctore Cicerone de opt. gen. or. 6, in Armorum judicio, Erigona, Antigona, fragmentis id suadentibus. De ceteris omnibus Attii fabulis praestat fateri nos nihil scire, quam id contendere, quod demonstrare non possis. — Haec sufficiant de Attio, progrediamur ad Pacuvium, cujus fabularum Antiopam ad verbum ex Euripide expressam esse Ciceronis constat testimonio de fin. I, 2, 4, et Dulorestis quidem partem cum Iphigenia Taurica Euripidis congruere, multi certatim contenderunt. Sophoclem secutus est Cicerone Tusc. II, 21, 49, auctore in Niptris, Teucrum potest ex Sophocle vertisse, quum fragmenta doceant, eandem fabulam ab utroque poëta esse exornatam, Chrysem autem ex Sophocle versam esse Welckerus et Schoellius nulla alia de causa statuerunt, nisi quod fabulam ejusdem nominis a Sophocle scriptam esse sciremus; Hermiona denique num ex Sophocle sumpta sit, valde me dubitare profiteor; quamvis enim a nullo Graecorum poëta, nisi a Sophocle, talem fabulam scriptam esse compertum habeamus, tamen nondum adduci potui, ut crederem, et in hac fabula Sophoclis vestigia pressisse Pacuvium. Nam si Sophocles in ea fabula id argumentum tractavit, quod ei assignat Welck., (ex fragmentis autem nihil certi elici potest, quum praeter unum versum nihil servatum sit) omnia agebantur Delphis, ubi Neoptolemus a Machaerieo et ceteris sacerdotibus, quibus socium se adjunxerat Orestes, interfectus est. Fragmenta autem Pacuvianae fabulae, quae multa exstant, neque ad sacerdotes, neque ad consilia Delphis inita spectant, sed cogunt nos, ut rem alio loco quam Delphis actam esse statuamus. Quid enim? quis haec legens:

> Ibo atque edicam frequentes ut eant gratatum hospiti (fr. 25), et
> Concorditatem hospitio adjunctam perpetem
> Comitate conservetis (fr. 11)

non quaeret, quis ille sit hospes, quale illud hospitium? nec invenio, quod respondeam, nisi Orestem fuisse illum hospitem, qui Neoptolemi hospitium quaerat, idque ita, ut fr. 25 ad gratias referatur, quae perpetrata Neoptolemi caede Oresti agantur, sive Hermiona, sive civibus Neoptolemo inimicis id suadentibus; fr. 11 autem Pyladi tribuatur, qui quum videret, id quod ipse suaserat, ut Orestes, quo tutius Neoptolemum aggredi posset, ad fraudes et dolum malum confugeret, factum esse, eos adhortatur, ut quam inierint societatem, servent. Quae si recte conjeci, huic fortasse fabulae, non Duloresti, quod fecit Stieglitz. p. 127, adscribenda sunt fr. inc. Pacuv. 12 — 15 et 17. — Quodsi in dubio relinquendum est, quos auctores secuti sint Attius et Pacuvius in plerisque fabulis,

certiora affirmare licet de Ennio, qui praeter ceteros Euripidem imitatus est; Alexandrum enim auctore Varrone lib. VII, 82. Hecubam, si fides habenda est Gellio XI, 4. Medeam auctore Cic. de fin. I, 2, 4. ex Ennio vertit, et in Telepho, Iphigenia, Andromeda, Erechtheo eundem secutum esse, fragmenta docent, et verisimile est, etiam Alcmaeonem, Phoenicem, Melanippam, Cresphontem ex Euripide conversas esse. Denique ex Plaut. Rud. I, 1, 4. conjicere licet, Ennium etiam Alcumenam ad Euripideae fabulae exemplar scripsisse, quod et Bergkium in eximiis illis quaestion. Ennian. p. XI. contendisse video. — Praeter Euripidem Aristarchum sibi sumpsit, quem in Achille teste Plaut. Poen. prol. 1. sequeretur; num praeterea hunc poëtam imitatus sit, incertum est, nam valde vereor, ne Isidori ille locus, cujus mentionem fecit Scaliger ad Fest. v. prolatum (p. 605. Lind.): „Tragoedias fere omnes ex Graecis transtulit Ennius, plurimas Euripidis, nonnullas Aristarchi," quem reperire se posse negaverat Welcker. p. 935. mere a Scaligero sit fictus, in etymologiarum enim libris certe quidem non invenitur. Contra Chaeremonem secutus esse videtur, si verum est, quod conjecit Bergk. in quaest. Ennian. p. XVI. Penthesileam, quam fabulam omisso auctoris nomine laudat Festus v. objurare, Ennii fuisse; nihil enim aliud hac fabula actum esse, quam quod Chaeremon in *Ἀχιλλεῖ Θερσιτοκτόνῳ* exhibuit, recte vidit Welcker. p. 1343. et non solum mythum, sed etiam verba ipsa expressa esse videre licet ex Cic. Tusc. V, 9, 25., nam quem hic versum affert Cic.: „vitam regit fortuna, non sapientia," eum recte Welck. p. 1086. comparavit cum versu ex Chaeremonis fabula: „*τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽, οὐκ εὐβουλία.*" Et haec videtur causa fuisse, cur Achilles, quam fabulam Ennius ex Aristarcho vertit, a grammaticis, ut discerneretur a Chaeremonis fabula, laudaretur Achilles Aristarchi. Neque enim alterum Achillem ab Ennio scriptum esse, conjicere licet ex schol. Gronov. ad Cic. Verr. II, 1, 18, 45: „Enniano hemistichio usus est" (in verbis his: „ita magni fluctus ejiciebantur," quod fr. neglectum est ab hominibus doctis) „ex ea tragoedia, quae Achilles inscribitur;" distinxisset enim hanc ab altera fabula Achille, si talem scripsisset Ennius. — Sophoclem ab Ennio expressum esse in Ajace et Thyeste, infra demonstrabitur. Aeschylum in solis Eumenidibus imitatus esse videtur, nam fabulam, cui nomen Nemea dederit, non scripsit Ennius. Ita vides ex omnibus Ennii tragoediis modo tres, Andromacham, Hectoris lytra, Telamonem ad certos auctores referri non posse. Id de Andromacha miros nos habere potest, quum ex Cic. de opt. gen. or. 6, 18. sciamus, hanc fabulam in numero earum fuisse, quas Ennius presse ex Graecis verterit, cognomen Aichmalotidis autem propter Naevii fabulam ejusdem nominis accepisse videtur. Hectoris lytra Welcker. et Herm. Opusc. V. p. 156. ad Sophoclis Phryges retulerunt, cujus fabulae unum modo fr., quod verba Priami ad Achillem continere videtur, superest. Quod quum bene animadvertisset Welck. et vidisset, in Enniana fabula propter fr. 5 et 16. Hectorem nondum interfectum esse videri, et bene perspexisset, certamen Achillis cum Hectore et

cadaveris lytra argumentum esse non unius fabulae Sophocleae, statuit, fragmenta illa ad longiorem pugnae descriptionem pertinere, sed quum etiam alia fr. ad certamen ipsum spectare videantur, verisimile est, Ennium in hac fabula non Sophoclem, sed alium poëtam imitatum esse. Telamonem denique non ex Sophocle expressum esse, ipse vidit Welck. p. 197. quem in eo errasse, quod duplicem hujus nominis fabulam Ennio adscripsit p. 1379—80., infra probabo.

Haec habui, quae de poëtis Graecis, quorum fabulas interpretati sint tragici Latini, dicerem; plura afferre possum de ratione, qua in vertendis Graecorum fabulis usi sint Ennius, Pacuvius, Attius. Cujus disputationis ut fundamenta jaciam, inquirendum est in causas, quae illis temporibus, quibus Livius Andronicus primus Graecas fabulas vertit, Romanos commoverint, ut libenter has fabulas spectarent. Neque enim credibile est, eos jam tum sinceram voluptatem ex his spectaculis percepisse, incultiores enim erant, quam qui hanc artem fovere possent; alias caussas fuisse necesse est, quae eos impellerent, ut aures his nugis, quales illis temporibus fabulas habebant, purgarent. Quae quales fuerint, non difficile est dispicere. — Quo latius arma ferebant Romani, eo majus fuit commercium, quod inter eos et Graecos intercedebat, nec fieri potuit, quin aures quasi obtunderentur historiis, fabulis, carminibus Graecorum, oculis objicerentur picturae ac statuae, ad Graecorum tum mythos, tum historias spectantes; ut enim Etrusci, ita Graeciae magnae populi toti erant in spectandis Graecorum fabulis, in legendis eorum carminibus, admirandis eorum picturis. Quid mirum, si Romanos, qui initio quidem nugas illas despicatui habuerant, paullatim cupido invasit cognoscendi, num fabulae illae re vera dignae essent, quibus audiendis et percipiendis tempus et operam impenderent. Et suppuduit eos fortasse, quod tam rudes earum rerum essent et ubique barbari audirent. Quid multa? Studium incessit Romanos cognoscendi illas fabulas, quibus omnes omnium terrarum populos maximopere delectari viderent, et quarum rudes et expertes esse eos pudebat. Id igitur studium commovit Romanos, ut fabulas Graecas spectarent; tum vero hoc studium in dies crevisse et subinde Romanos ex artis osoribus ejus cultores et amatores factos esse nemo, qui qua sint dulcedine fabulae Graecae ipse expertus est, mirabitur. Quae si recte sunt disputata, elucet, quid potissimum poëtis illis primis Romanorum tragicis spectandum et qua ratione in vertendis illis fabulis utendum fuerit. Quum enim Romani non remissionem animi, non veram voluptatem in theatris quaererent, sed studerent c o g n o s c e r e Graecorum fabulas, maxime id spectabant poëtae tragici, ut quam plurima ex mythis Graecis petita suis fabulis immiscerent; et quum Romani incultiores essent, quam qui virtutes carminum choricorum perspicere possent, aut admirari, qua arte totam fabulam disposuissent singulasque partes exornavissent poëtae Graeci, contrahere et arctioribus finibus has partes circumscribere debebant. Recte igitur egerunt tragici Latini, quod Euripidem praeter omnes elegerunt, quem sequerentur. Multae enim erant causae, quae Euripidem potissimum commendarent

poëtis Latinis; primum prologorum ratio, qui quum ab ovo, ut ajunt, res repetant, aptissimi erant, qui Romanos in res, quae agebantur, inducerent; deinde rerum in fabulis ipsis tractatarum varietas ac copia, qua Euripides id, quod priores poëtae totis trilogiis vel certe pluribus fabulis illustraverant, unius fabulae ambitu complectebatur; accedebat quod carmina chorica non more Aeschyli exuberari sinebat; tum illa accurata ad veritatis amussim limata morum et vehementiorum animi perturbationum descriptio, quae fecit, ut summus poëta tragicus ab ipsis veteribus artis magistris appellaretur: denique sententiae illae ad vitam moresque spectantes, quibus refertae sunt fabulae Euripideae, quas multum contulisse puto, ut Euripidis fabulae summa cum voluptate et legerentur et spectarentur et a pueris virisque ediscerentur. Quae consummatae virtutes fieri non potuit, quin Romanorum poëtas ut delectarent ita ad Euripidem exprimendum incitarent. Quum enim Romani primis temporibus maxime ea de caussa theatra frequentarent, ut doctiores et Graecarum fabularum peritiores evaderent, prologis Euripideis omnia ea edocebantur, quae hebetissimum quemque ita instruerent, ut quidquid opus esset ad fabulam ipsam recte intelligendam teneret; fabulis ipsis magnam mythorum Graecorum partem perdiscebant, nec longis et perplexis carminibus choricis abstrahebantur a cognitione earum rerum, quibus cognoscendis se dederant; tum vivida morum et animi perturbationum descriptio fieri non potuit, quin ad mores emolliendos magnam haberet vim; denique sententiarum ad vitam moresque spectantium a primis temporibus amantissimi fuerunt Romani, ut etiam hoc nomine valde delenirentur his fabulis. Quae quum ita sint, elucet, quam facili negotio Euripidis fabulae a Latinis poëtis populo spectandae praeberi potuerint; longe majores erant difficultates, si Latini poëtae ad Sophoclem atque adeo ad Aeschylum se vertebant, tum enim majore iis erat utendum libertate, ut resecarent, quibus incultiores Romani delectari non poterant, ut adderent, quae Romanis ad intelligendum et perspiciendum opus essent, maxima autem in Aeschyli fabulis vertendis cura ea erat, ut contrahendis carminibus choricis et conjungendis trilogiarum fabulis argumentum satis amplum consequerentur. Quod negotium quum poëtas requireret, qui jam ipsi stare didicissent, non mirum est, quod tam raro Aeschyli fabulas vertendas sibi sumpsisse poëtas Latinos videmus. His rebus ita comparatis si quaerimus, qualem se gesserit Ennius in vertendis Graecorum fabulis, recte id perspexisse videtur Planck. ad Enn. Med. p. 99: „Ennii licentia libertasque in vertendis Graecorum fabulis — non eo usque processit, ut novas plane actiones, nova argumenta, novasque rerum species in — fabulam induceret, sed ut ea tantum, quae in Graeco poëta obvia erant, aut amplificaret, aut ex parte immutaret, aut novis tantum coloribus adumbraret.“ Sed quum hoc modo jam plurimae a primis illis Romanorum poëtis tragicis, Livium dico et Naevium et Ennium, versae essent fabulae et Romani paullatim cognitam haberent magnam Graecorum mythorum partem, subinde tanta Romanorum commutatio facta erat, ut non

jam, ut antea, ridendi caussa comicorum, discendi caussa tragicorum fabulas spectarent, sed ut libero homine dignam animi remissionem ibi quaererent, ubi summorum poëtarum et lepida commenta et sublimia carmina spectanda praebebantur. Qua commutatione facta jam non anxie quaerendum erat poëtis, num quae vertissent Romanis placiturae essent fabulae, sed suo confisi ingenio altius se tollere potuerunt. Cujus commutationis Pacuvii fabulae praeclarum praebent documentum, qui poëta primum quidem, quum ad scribendum applicaret animum, totus ex Ennii avunculi praeceptis pependisse videtur, cujus admonitu ad fabulas scribendas eum commotum esse quum verisimile sit, tum ad Ennium se conformavisse luculentum Varronis docet testimonium, nequaquam ad solas satiras, quibus non magnam sibi invenit gloriam, pertinens. Sat. 63, 14. ed. Oehler. p. 176: „Pacuvius discipulus bicorporis fuit Ennii." Quare certum mihi est, Antiopam, Niptra, Teucrum, fortasse etiam Chrysen inter primas Pacuvii fabulas referendas esse. Nec postea plane de via, quam ei monstraverat et praeierat Ennius, decessit, sed memor illius praecepti, ante omnia videndum esse, ut quidquid spectandum praeberet, doctiores redderet Romanos et majorem iis afferret Graecarum fabularum cognitionem, totam Graecorum antiquitatem summa opera perscrutatus esse videtur, ut inde argumenta sumeret, quae Romanis incognita essent. Cui Pacuvii studio non dubito Ilionam, Periboeam, Atalantam, Hermionam, Medum adscribere, quas fabulas aut ex posterioribus Graecis poëtis transtulit, aut, quo magis animus inclinat, ipse condidit. Neque enim quidquam mea quidem sententia perversius cogitari potest, quam id, quod quamvis a summis viris certatim affirmari videam, tamen multis rationibus ut falsissimum judicem adducor, poëtas Latinos tragicos ad Augusti tempora totos ex poëtis Graecis pependisse, ut etiamsi non verterent, tamen in omnibus fabularum partibus Graecorum poëtarum vestigia premerent. Cujus sententiae quum Welckerus in eximio illo, quod de tragicis Graecis confecit opere, patronus exstiterit, non leve esse opus quod aggredior bene sentio, sed ipsa summi illius viri auctoritas me cogit, ut causas, quibus adductus sum, ut contrariam sequerer sententiam, quam potuero enucleate exponam. Quo in negotio ita versabor, ut primum causas, quibus Welckeri nititur sententia, refellam, tum eas afferam, quae me ut contrariam amplectar impellunt. In priore hujus quaestionis parte brevi mihi esse licet, neque enim video quidquam, quod Welckeri juvet sententiam praeter Cic. locum Acad. I, 3, 10: „Quid enim causae est, cur poëtas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poëtarum? quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum?" At, quaeso, nihilne interest inter imitandum et vertendum? Nonne tot Graecorum poëtarum Aeschylum, Sophoclem, Euripidem imitati sunt, et quis unquam contendit, eos vertisse illorum fabulas? At vim Graecorum expresserunt poëtarum.

Scilicet eum dicis vim alicujus poëtae exprimere, qui data opera scenam ex scena, omnes partes. quo quaeque loco ab auctore sunt constitutae, producit? Quodsi premimus ex ipso hoc Acad. loco sequitur. ut ipse Cicero et qui aequales eadem studia amplexi erant, Platonem, Aristotelem. Theophrastum verterint. Immo eo expresserunt poëtae Latini vim Graecorum poëtarum. quod eodem modo spectantium animos commovere studebant. Non anxie igitur ubique spectabant exemplaria Graeca. sed in eodem argumento suas vires experiebantur, videbant. num quid melius Graecis invenire. num quid pulchrius exornare possent. quod ab alio poëta Graeco in eodem argumento melius inventum esset, id in suas fabulas recipere non dubitabant. denique quas partes posteriores Graecorum poëtae in retractandis priorum tragicorum fabulis sibi sumpserant. eas Latini poetae eodem jure sibi vindicabant. Cui sententiae neque obstare, quod Vergil. ecl. 3. 86. Pollioni nova carmina tribuat. neque quod Ovid. Amor III. 1. 29. sibi Romanam tragoediam assumat, in disputatione N. Mus. Rhen. inserenda quum ostenderim. statim me ad alteram hujus disputationis partem convertam. qua demonstrandum mihi proposueram, et Pacuvium et Attium tragoedias scripsisse, quae vel inventorum laudibus apte cum Graecis fabulis conferri possent. Ac primum quidem, quomodo Colum. de R. rust. I, praef. Attium cum Vergilio comparare potuit. nisi uterque tale quid scripsisset, quod sibi, non aliis deberet? Sed rem conficere videtur locus Velleji II. 9. „Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Attii. usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeo quidem. ut in illis limae. in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis." Quod in his verbis interpretes maxime vexavit. Ennium praetermissum esse, id recte et ordine factum esse intelliget, qui cogitaverit, Ennium quum more isto priore fabulas vertisset, hic nominari non potuisse. Attium autem eo nomine quod ipse suo confisus ingenio Graecas interpretatus sit fabulas. a Vellejo laudari luce clarius est; nam quis unquam in Graecorum ingeniorum comparationem evectus dici poterit. nisi qui ingenii dotibus ita excellat. ut in aliorum inventis non acquiescens ipse inveniat quod illorum inventis opponat? Quod nisi fuisset. quomodo Vellejus Attium cum Afranio conferre potuit. quem in togatis de Graecis sumpsisse. ubi e re esset. constat? Et quid causae cogitari potest. cur. quod poëtae Romanorum comici sibi sumerent. ut arctis fabularum quas imitabantur finibus coërceri se non paterentur, sed ubi videretur liberius evagarentur. ita ut oeconomia fabulae Graecae tantum non abjecta, plane novas comoedias conderent. id poëtis tragicis non licuerit? Quid. quomodo posterioribus temporibus ambigi poterat. utri primas deferrent. Pacuvio an Attio? Num ita malus poëta Ennius. ut conferri cum illis plane non posset? is poëta. quem Cicero ubique summis laudibus effert. quem saepius summum poëtam appellat? Nonne haec una res demonstrare potest, non solum genere dicendi dissimiles fuisse Ennium. Pacuvium, Attium, sed aliud quid accessisse.

quod efficeret, ut inter se comparari nullo modo possent? Id vero quid aliud erat, nisi quod Ennius fabulas Graecas vertebat, illi imitabantur vel potius cum iis certamen inibant? Ciceronis quidem temporibus de hoc discrimine omnino non actum esse concedo, sed illa aetas fruebatur et delectabatur summorum poëtarum fabulis, posterioribus demum temporibus, quibus grammatica studia magis magisque efflorescebant, accuratius inquiri in singulorum poëtarum virtutes coeptum est; qua in disceptatione id imprimis quaerebatur, num toti ex Graecis pependissent. an sua Minerva usi essent. Ut igitur a grammaticis illius temporis poëtas comicos pro majore minoreve diligentia, quam in fabulis convertendis adhibuissent, in classes quasdam redactos esse videmus, ita eadem ratione de poëtis tragicis judicatum esse mihi persuasum est. Ita elucet, qui factum sit, ut, quum Cicero, ubi de poëtis tragicis agit, Pacuvium et Attium nunquam commemorasset nisi adjuncto Ennio, posterioris aetatis scriptores plerumque de solis Attio et Pacuvio agerent (cf. Hor. ep. II, 1, 55. Quinctil. X, 1, 97.).*) Jam si quaeris, quid discriminis intercesserit inter Pacuvium et Attium, habeo, quod respondeam. Pacuvius, ubi se liberavit nimia illa diligentia, qua Ennius in vertendis Graecis fabulis usus erat, duplicem videtur ingressus esse viam, ut aut mythos Romanis incognitos perscrutaretur, et si quid invenisset, quod dignum statueret, in quo elaboraret, id Graecorum poëtarum morem religiose observans in fabulae formam redigeret, aut mutandis Graecorum fabulis et pluribus in unius Latinae ambitum conjungendis gloriam sibi inveniret. Quibus in negotiis haud mediocriter eo adjutus est, quod antequam fabulis docendis operam daret pingendi artem exercuerat: ita enim factum erat, ut et Graecos mythos calleret et sensum pulchri ac decori perpoliret. Omnino autem summa religione cavisse videtur Pacuvius, ne quid fingeret quod a Graecorum moribus ac sensibus abhorreret. Nec fugit id studium grammaticos, qui eum et prudentem et doctum poëtam appellaverunt. Fines quos Pacuvius in imitandis Graecorum fabulis sibi scripserat, transgressus est Attius, qui, licet in paucis fabulis Graecos poëtas accurate secutus sit, in plurimis tamen plane suo ingenio indulsit. Mythos enim, quos fabulis descripserant poëtae Graeci, suo usus judicio tractavit, quo in negotio ita versatus est, ut quidquid ei ex hoc illove Graeco poëta placeret, in suum commodum verteret, quae se melius speraret fingere posse, ipse adderet. Omnino autem non quaesivit, num, quod componeret, Graecis placiturum esset, sed num Romanis, et quum videret Romanos atrocissima quaeque amare et ipse esset homo fervidissimi ingenii, animi perturbationes omnibus ita pinxit et expolivit artis coloribus, ut saepe non multum abesset, quin pompam in dicendo adhiberet et fines transiliret, quos ultra nequit consistere rectum.

*) Similiter judicaverunt de utroque poëta Regel de R. trag. Rom. p. 46—47. et Stieglitz. de Pacuvii Dul. p. 14—16.

Scio me multa contendisse quae juste demonstrari non possint, sed spero etiam, immo confido, neminem qui hanc litterarum Latinarum partem accuratius percensuerit, me ideo levitatis vel arrogantiae accusaturum esse. Unum tamen restat, ut singulas Ennii, Pacuvii, Attii fabulas perlustrans accuratius meam sententiam explicem et veram esse imaginem quam adumbraverim quoad fieri potest demonstrem. Sed quum viderim, saepius his fabulis lucem afferri Plautinis locis, opus est, ut priusquam ad illud negotium accingar, extremis lineamentis, ut fines huic scriptioni constituti praecipiunt, quomodo Plautus tragicorum fabulas respexerit, indicem.

Plautus quod saepissime mentionem facit heroum Graecorum ac fabularum, videtur id Bernhardyum de litt. Latin. p. 17. commovisse ut statueret, jam illis temporibus fuisse Romae libros quosdam, quos secuti scholarum magistri mythos et historiam Graecorum pueros docerent. Mihi aliter videtur; neque enim praeter Livii Odysseam nobis quidquam de illis libris traditum est; nec loci illi Plautini ita comparati sunt, ut nobis necessitatem ita statuendi imponant. Quae enim ex historia Graeca apud Plautum commemorantur ejusmodi sunt, ut Romanis in quotidiano commercio quod iis cum Graecis intercedebat nota fuisse necesse sit; quae vero ex mythis proferuntur, ea si mythos ad Herculem, Romanis non minus quam Graecis cognitum, spectantes exemeris, omnia ex tragoediis Livii, Naevii, Ennii sumpta esse facile est demonstratu. Quin cognitionem illam, quam Romani harum rerum tum animis imbiberant, non ex libris nescio quibus mythologicis, sed ex ipsis poëtarum tragicorum fabulis haustam esse praeclare ostendit locus Bacch. IV. 8. 39 — 40.; Ulixem enim, quum clam Trojam ingressus esset, ab Helena, quae eum agnoverat, ad Hecubam adductum ab eaque liberatum esse solus quod sciamus Euripides (cf. Eustath. ad Odyss. δ, p. 1495, 5.), cujus fabula ab Ennio versa est, tradidit. Ad Ulixem Palladium rapientem spectat etiam locus Pseud. IV, 6, 1 — 2., nec dubitandum est, quin Talthybius, cujus mentio fit Stich. II, 2, 32. Romanis ex eadem fabula notus fuerit. Ex Ennii Alexandro petitum esse videtur, quod Hecuba ob dicacitatem in canem versa esse dicitur Men. V, 1, 15 — 18.; quadrat enim haec commemoratio in extremam illam fabulam, quae Cassandrae vaticinationibus referta est, et exstat fr. aliquod Euripideum (fr. inc. 126.). *Ἑκάτης ἄγαλμα φωςφόρου κύων ἔσῃ*, quod quamquam non ex Eur. fabula ejusdem nominis cum Welck. p. 475. et Hart. II. p. 245. depromptum puto, nihil tamen obstat quin statuamus, Ennium hunc versum ex aliqua fabula Eurip. in Alexandrum transtulisse. De reliquis mythis frequentissime commemorantur qui ad bellum Trojanum et excidium Ilii spectant: quorum locorum insignis ille in Bacch. IV. 8. locus jam recte a Welck. p. 523. ad Naevii Equum Trojanum relatus est. Quae in Epid. I. 1, 31 — 34. de alatis operibus quae Mulciber confecerit et de armis Achillis, quae in Merc. II, 4, 11. de redimendo Hectoris cadavere dicuntur, ea partim ex Homero, partim ex Hectoris lytris, fabula Enniana, nota erant. Romanos enim jam tum non primis, ut

dicitur, labris gustasse Homeri carmina ex solo Plauto intelligi potest, quippe qui non solum Odysseae a Livio versae rationem habuerit ut Stich. I, 1, 1—2. Bacch. II, 3, 41. Men. V, 1, 45.. sed etiam res in sola Iliade commemoratas tetigerit, ut praeter id, quod modo de armis Achillis et redimendo Hectoris cadavere dixi, Men. V, 1, 48. mentio Calchantis, ibid. 45. Parthaonis, Bacch. IV, 6, 12. Bellerophontis fit. Incertum contra est. utrum quae de morte Achillis Trucul. IV, 2, 22. referuntur, ex Homero an ex Livii Achille petita sint, sed inclinat eo animus, ut hoc praeferam propter Bacch. I, 2, 48—49., Phoenicem enim Achillis mortem patri renuntiavisse. apud Homerum non legitur. Ad Tereum Livii spectat Rud. II, 6, 24—25., qui locus mihi satis demonstrare videtur, falsam esse Welckeri sententiam. censentis p. 387. Tereum Livii comoediam fuisse ad exemplar Anaxandrideae fabulae fortasse formatam, cujus sententiae quum non aliam nisi hanc afferat causam quod fr. 4. satis superque comoediam prodat, non videtur mihi vir summus cogitavisse, Livii temporibus sermonem tragoediae a sermone comoediae non discretum fuisse; nec adduci potui, ut crederem, primos Romanorum poëtas scenicos comoedias mythologici argumenti scripsisse, quod persequi quum hujus loci non sit, in viam redeo. Quamvis igitur Welckero et Duentzero id largiar, Hyginum fab. 45. argumentum fabulae Livianae nobis prodidisse, nego tamen ac pernego. eam fabulam comoediam fuisse: qua in sententia me adjuvat, quod Plaut. Rud. III, 1, 12. Philomelae et Procnes mentionem facit. Alia Livii fabula, eaque Ino, significatur Bacch. II, 3, 6—7. Sed addubitata est haec Livii fabula; quum enim Ionem laudet Priscianus, fuerunt. qui putarent, Livium non Inonem, sed Ionem scripsisse. Ego vero tantum abest ut a Livio abjudicem Inonem fabulam, ut ei aliam tribuam, in qua Ius saepe mentio fit. non hoc quidem nomine appellatam, sed Prometheum vinctum ex Aeschylo vel poëta qui idem argumentum simili ratione tractasset, sumptam. Id ut credam facit locus Plaut. Aulul. III, 6, 19—20., ubi quae de Argo et Ione traduntur si cum iis quae in eadem fabula IV, 8, 1. de picis commemorantur, comparaveris, vix dubitabis, quin Plautus narrationem illam quae in Aeschyl. Prometh. vinct. 803. sqq. de Ionis erroribus exstat tecte significaverit. Eam fabulam respexit Priscianus nec tamen Prometheum nominavit, sed Ionem, sive quod Livius hoc nomine docuerat hanc fabulam, sive quod quae ex illa fabula affert ad Ionem spectant; ita enim saepenumero grammaticos pro veris falsa fabulis nomina subjecisse constat. Ad Naevii Lycurgum, cujus mentio fit Capt. III, 4, 30., fortasse referendum est quod in Merc. II, 4, 1. de Pentheo commemoratur; quis enim neget. hunc virum in illa fabula commemorari potuisse? Dubitanter addo ex Poenul. I, 3, 22—25. fortasse sequi. ut eorum sententiam comprobemus, qui statuunt. Phoenissas Naevii fuisse tragoediam, etiamsi fatendum sit, fata Oëdipi et ab alterutro reliquorum tragicorum tractari potuisse. Sed unus restat locus, qui quocunque mittis animum ad nullam referri potest tragoediam. dico Mil. gl. IV, 6. 32. Quis enim unquam in tragoedia Phaonis Lesbii mentionem fecit?

At quid cogit, inquies, ut ad tragicum haec referamus, quae ad comicos potius spectent: Menander enim, quem secutus est Turpilius, Phaonis fabulam auctore Serv. ad Aen. III. 279. exornaverat. Sed quid hoc ad Plaut. fabulae spectatores? qui Plautus sumere poterat, hunc Phaonem Romanis notum esse? An censebis, ex Menandro hunc locum immutatum transtulisse Plautum nulla Romanorum ignorantium quis is esset ratione habita? Apage talem censuram. Phaonem commemorare non potuit, nisi si cognitum haberet, eum jam in notitiam Romanorum venisse. At unde tandem venerit, quum Turpilius, qui illam Menandri fabulam vertit, pluribus annis post Plautum fabulas docuerit? Dicam, quod res est. Plautus ipse scripserat fabulam hujus nominis. Nugas, inquies: ego vero quovis pignore contenderim, ita esse, quin hanc fabulam bis a Varrone laudatam esse. Duobus enim illis locis VII. 61. et 67., ubi codd. praebent Plautus in pagone, sine dubio id nomen, quo nomine quid faceret nesciit Ritschel. Parerg. I. p. 151., in Phaonem mutandum est. Ac Menandrum quidem hac in fabula secutus esse non potest, sed praeter Menandrum alii quoque poëtae Graeci scripserunt fabulas *Φάων* vel *Λευκαδία* nominatas. Plautum autem et aliis locis suas fabulas respexisse etsi hic uberius persequi non possum, id tamen memorabo, Alcumenam pellicem, cujus mentionem habes Merc. IV, 1. 24., ad Plauti Amphitruonem spectare, quod si dederis, et illud credo dabis, Amphitruonis fabulam post Mercatorem datam esse. Nec suas solum comoedias respexit Plautus, sed et Naevii, ita ex Bacch. IV. 7, 70—71. apparet, falsam esse Grauerti sententiam, quam nuper de praetexta Naevii fabula, cui nomen Demetrio fuerit, in Schneidewini Philologo II. 1. p. 126. protulit. Neque solum tragoedias sui temporis respexit Plautus, sed longius processit nec raro sententias ipsas ex illis tragoediis protulit, quod nonnunquam ipse profitetur, ut Curc. V, 1, 2. et Trucul. V. 40., saepius reticuit, sed dubitari non potest, quin verba illa vetera, quae Asin. I. 3. 51., Cist. II. 1, 39., Merc. IV. 4. 31., Poen. I. 1. 7., Trucul. IV. 4. 32. afferuntur, ex tragoediis sint petita: quod tanta fiducia me confirmare, quominus mireris, testimonium afferam Flavii Vopisci Numerian. 13.: „Ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpantes. Nam et lepus tute es et palpamentum quaeris Livii Andronici est multaque alia quae Plautus Caeciliusque posuerunt." Alia quaestio est, num Plautus veteris comoediae exemplum secutus poëtas tragicos luserit et irriserit, quod suo jure Langeus in Opusc. p. 67. affirmavisse videtur, cujus verba haec sunt: „An comici Latini ejusmodi luserint, qualia Aristoph. in Ranis, ignorare me fateor, apud Plautum vestigia certe hujus generis quaedam apparent, velut in Prol. Amph., Mil. gl. II. 5. 1. sqq., Trin. IV. 1., Pseudol. II. 4. 14." Sed longius procedere debebat Langeus, quod enim haesitans affirmaverat, id dilucide poterat demonstrare. Huc enim referendum est illud Hieronymi ad Pammach. c. 101., qui Terentium quidem Menandri, Caecilium vero Plautumque ad veterum comicorum imitationem se composuisse scribit. Quin si accuratius Plautum legeris, invenies, hoc

tragicos poëtas carpendi studium ad certa quaedam genera referri posse, sed ne longius abeam, capita rerum indicasse contentus ero. Primum igitur verba quaedam a poëtis tragicis inventa aut minus recte translata ridentur a Plauto, ut quod dixerat Livius in Tereo fr. 4.: „cum illo nunquam limavi caput," ridetur in Poenul. I, 2, 82., nec minus flos Liberi, ut idem poëta vinum appellaverat fr. inc. I. ridetur Cas. III, 5, 20. et Cist. I, 2, 5. Ita non dubito quin adj. lucrificus a tragico aliquo formatum Plauto materiem ridendi praebuerit in Pers. IV, 3, 54—55. Alterum genus complectitur parodias, quarum Plautum studiosissimum fuisse quis est qui ubi egregiam Schneidewini de scen. Plaut. disputationem N. Mus. Rhen. II. p. 415. legerit, neget? Ita Ennii verba in Andromacha fr. 4. carpuntur in Bacch. IV, 8, 9., et quae Ennius in Cresphonte fr. 7. scripserat, scite in suum usum convertit Plautus Stich. I, 2, 72—84. Qua in re Plautus aut ita egisse videtur, ut certos quosdam tragicorum locos imitando irrisioni objiceret, aut ita, ut colorem tragicum risus captandi causa affectaret, quod ipse profitetur Pseud. II, 4, 12—16. Valde dolendum est, quod in tanta tragoediarum Latinarum jactura plerumque non jam cognosci potest, utri parodiae generi studuerit Plautus. Quis enim dubitabit, quin de industria locis his, ut nonnullos modo afferam, colorem tragicum tribuerit: Capt. I, 2, 24—25. 76. Merc. V, 2, 1—2. Pers. II, 3, 1—3. Rud. IV, 7, 9. Poenul. I, 3, 22—25. Pseud. II, 1, 17—20. Rud. I, 3, 39. 5, 11., Stich. I, 1, 19—20. II, 3, 12. Trin. II, 4, 185—87. IV, 1, 1—18. Nec desunt loci, ubi sententiis notis ex tragoediis Graecis in rebus jocosis usus est, ut quod Fritzschius ad Ran. 102. p. 67. docuit Asin. II, 2, 27. ratio habita est loci Euripid. Hippolyt. 612., addo similitudinem loci Plaut. Mil. III, 1, 135—38. cum Soph. Elect. 1505—7., Trucul. II, 2, 64. cum Soph. Antig. 475—76. Tertium denique genus eos complectitur locos, ubi Plautus admodum ridicule suas personas in tales conditiones conjicit, ut eodem modo atque heroes certi in simillima conditione versantes, lamentari aut se gerere possint; cujus generis mihi illa Merc. V, 1. scena esse videtur, ubi Charinus impiis Athenis vale dicit, et nobis in mentem revocat Teucrum injuste ab exacerbato Telamone patria pulsum; nec minus locus Men. V, 2, 83., ubi Menaechmus insaniam simulans fanda nefanda profundit, admonet dirarum, quas Naevius non potuit non Lycurgum fundentem facere, et simillima Capt. III, 4. scena apte fortasse comparari potest cum scena aliqua Alcmaeonis vel Orestis vel Ajacis Enniani, cui sententiae non leve momentum eo accedit, quod Plautus illa scena v. 82. Tyndarum dicentem facit: Ajacem, hunc quum vides, ipsum vides. Et cui non in mentem venit senis illius apud Eurip. Iphig. Aul. stellarum cursum observantis, quum Sosiam in Amph. I, 1, 117—23. in simili observatione videt, quod Ennii ridendi causa Plautus instituisse potest, quum ex Enn. Iphig. fr. 1. coll. cum Cic. de rep. I. 18. sciamus, Ennium illum locum non praetermisisse.

Haec sufficiant; quae enim volui, me assecutum esse puto, ut si in tragoedia qua

constituenda Plautum mihi socium assumam, non verendum sit, ne alias res agere videar. Neque tamen omnes percensebimus fabulas, sed eas solas, ex quibus aut praecipue ratio vertendi aut discrimen singulorum poëtarum in tractandis similibus argumentis cognosci possit, aut quibus illustrandis operam me non plane inutilem afferre posse spero.

Iphigeniam scripserunt Naevius et Ennius, quorum ille fortasse argumentum Iphig. Taur. sibi elegit, quod tum unus versus, qui etiam nunc exstat, tum Plauti locus in Capt. III, 4, 30., ubi Orestes inter eos enumeratur, quos insanos spectaverint Romani, suadent. De Enniana fabula Bergkius subtiliter egit in eximiis illis quaestionibus Ennianis p. XI — XV. et praeclare ostendit, Ennium non omnia ex Euripide, sed nonnulla etiam ex Sophocle sumpsisse, et omnino mihi materiam de hac fabula disserendi ita praecidit, ut unum modo habeam quod addam doctae ejus disputationi, fugisse et eum et ceteros homines doctos fr. aliquod ad hanc fabulam sine dubio referendum. Exstat id apud Cic. ad Att. XIII, 47:

Abs te, Agamemnon, ut venirem, tetigit aures nuntius,

ad verbum expressum ex Eurip. 633 -- 34. (sequor Dind. in poët. scen.):

ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἄναξ,
ἥκομεν, ἐφετμαῖς οὐκ ἀπιστοῦσαι σέθεν.

Hecuba a solo Ennio scripta esse videtur, nam in Tuscul. II, 5, 13., quo loco Hartungus in Eur. rest. I, p. 529. utitur, improbandam esse Mureti conjecturam, librorum scripturam: falsumque illuc ac improbe mutantis in: falsumque illud Accii, probae et pro v. Acci reponendum esse Ennii nomen, recte vidit Hermann. ad. v. 586., qui etiam ad v. 578. suo jure monuit, ne temere crederemus uni Prisciano ex Attii Hecuba versum aliquem laudantem. Sed res confici videtur loco Serv. ad Verg. Aen. VII, 320: „Regina Hecuba filia secundum Eurip. Cissei, quem Ennius, Pacuvius et Verg. sequuntur." nam si Attius Hecubam fabulam scripsisset, patrem Hecubae nominasset, nec Servio causa erat, cur quod de Ennio, Pacuvio, Vergilio commemoraret, de Attio reticeret. Quae autem Ennianae fabulae fr. supersunt, ea ab Osanno anal. crit. p. 131 — 40., Herm. in ed. Eurip. fab. et Duentzero in Zimmermanni ephemer. 1838. No. 6 -- 7. cum Eurip. fabula comparata sunt, unde patet, Ennium in hac fabula pressius quam in ceteris Eur. secutum esse. Sed quod Duentzer. l. l. p. 58. fr. 15. et 16. Ennio abjudicat et Ilionae Pacuvii tribuit, id probare nequeo. Quamvis enim Cic. Tuscul. I, 16. 37. hos versus non addito poëtae nomine attulerit, tamen et grande carmen, ita enim judicat de his versibus Cic., et multa allitterationis exempla non conveniunt in Pacuvii poësin, ab allitterationis usu admodum, ut videtur, aliena.

Alia fabula, in qua Ennium Euripidis vestigia pressisse Cic. de fin. I, 2, 4. refert, est Medea, nec tamen desunt indicia, quibus adducimur, fuisse etiam in hac fabula.

in quibus Ennius exemplar suum relinqueret. Quae qualia sint priusquam exponam, dicendum est de illa quaestione, num Ennius duas hujus nominis fabulas scripserit. quam sententiam quamvis acriter impugnatam a Planckio ad Med. p. 68 — 73. nuper repetiit novisque argumentis fulsit Welcker. p. 1377 — 78. Qui quum sibi persuasisset. alios hujus fabulae versus nullum locum habere in fabula Enniana, et vidisset. alios a grammaticis ex Medea exsule laudari, adduci se passus est. ut crederet, Ennium praeter Euripidis Medeam alteram Medeam scripsisse. quae argumentum Aegei Euripidei redderet. Nolo Planckii causas, quibus motus unam Medeae fabulam Ennio tribuit. repetere. sed hoc annoto. primum a Cicerone, qui saepius hujus fabulae mentionem faciat, ubique simpliciter Medeam appellari, quod si duas hujus nominis fabulas scripsisset Ennius, certe non fecisset Cicero: quin persuasum habeo. hanc fabulam a grammaticis demum, ut discerneretur ab alius poëtae Medea Colchide, Medeam exsulem nominatam esse: tum autem spero, ipsum Welckerum in meam sententiam abiturum esse, si ostendero et illis. de quibus desperaverit. fragmentis et nonnullis aliis locum idoneum esse in Medea Euripidea. Maximam affert difficultatem fr. 9.:

> Asta atque Athenas, antiquum, opulentum oppidum,
> Contempla et templum Cereris ad laevam adspice,

sed ita fortasse expedienda est: Aegeus quum Medeae Athenas perfugium dedisset, nihil jam eam deterruit, quominus tetrum illud facinus, quod jam diu animo volutaverat. perpetraret. Quo animadverso chorus vel nutrix, (ea enim saepius partes chori Euripidei explevisse videtur) ut eam a proposito retineat. proponit imaginem Athenarum, urbis, pietatis atque humanitatis laude omnes superantis. dicitque: Quid? eo progrederis audaciae et dementiae. ut vel necatis liberis speres Athenas tibi perfugium praebituras esse? Quod si speras. falleris ac nescire videris, qualis sit ea urbs, nam: Adsta atque Athenas — contempla. jam ipsa templorum multitudo te docere potest. quanti hic pietas. quanti ceterae aestimentur virtutes. Jam vides. hoc modo Ennium et vim carminis chorici inde a v. 824. sq. reddidisse. praecipue autem expressisse versus, qui sunt apud Eurip. 846. sq.:

> πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν
> ἢ πόλις ἢ φίλων
> πόμπιμός σε χώρα
> τὰν παιδολέταιραν ἕξει,
> τὰν οὐχ ὁσίαν μετ᾽ ἄλλων;

neque occasionem Athenas celebrandi praetermisisse. Neque in eo assentiri possum Welckero. quod versus duodecim. qui sunt apud Cic. de nat. deor. III. 26. alteri Medeae tribuit, neque video cur fieri non possit ut ultimus horum versuum nutricis sit. unde consequi putat Welckerus. et qui antecedant versus non esse ex prologo. sed ex

oratione alicujus, qui Medeae scelera indignabundus enumeret: sed tali orationi neque priores versus conveniunt et ultimus omnino nutricis esse potest. Quis enim tam ferus, tam expers sit omnis humanitatis, quin summa afficiatur indignatione recordatus illius temporis, quo Medea, quae semper illud apud Cic. pro Dejot. 9. 25:

Pereant amici, dum inimici una intercidant,

observasse videtur, ut patrem persequentem effugeret, ipsum fratrem trucidabat. Non nego igitur, acerbitate non carere ultimum illorum versuum, contendo vero, nihilominus et hunc versum nutricis esse posse, quum in prologo copiosius quam est apud Eurip. expositum esse de prioribus Medeae fatis, tum hoc ipsum fr. 12., tum locus Plaut. Pseud. III. 2. 79—83. suadeat, unde patet, diligentius quam in Eurip. fabula v. 9. et 486—87. factum est, locum de Peliae caede tractatum esse. Sunt autem et alii versus, quos ad hanc Medeam referendos esse puto, primum versus, quem Bothius inter inc. Ennii fr. 52., Hartungus II. p. 50. ad Cresphontem retulit: „An aliquid, quod dono illi, moraris? sed accipite." spectans ad Eurip. fabulae versus 964—66., tum non dubito quin qui versus Nemeae fabulae adscribuntur, Medeae sint, quam sententiam quum jam Columna, Mercerus, Planck. p. 88—89. amplexi sint nec Welckerus p. 1376. repugnet, id modo agam, ut quo referenda sint Nemeae fr. indicem. Atque primum versum: „Teneor consipta, undique venor" vel cum Planck. ad v. 364: *κακῶς πέπρακται πανταχῇ*, vel ad v. 505—7. refero:

τοῖς μὲν οἴκοθεν φίλοις
ἐχθρὰ καθέστηχ', οὓς δέ μ' οὐκ ἐχρῆν κακῶς
δρᾶν, σοὶ χάριν φέρουσα πολεμίους ἔχω.

Ad eandem Medeae orationem et alterum Pseudo-Nemeae fr., cui Planck. p. 99. in spuriis locum dedit, spectare videtur: „Pecudi dare viam marito." Vide enim, quam apte haec verba quadrent in locum hunc Med. Eurip. v. 476—79.: *ἔσωσά σε — πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην, — ζεύγλαισι κ. τ. λ.*: quae ad hunc modum reddere poterat Ennius: meministin' me tibi jugi imponendi pecudi dare viam marito flammifero? Sed tauros dici pecudem maritum insolentius est, quam quod Ennio tribuam: fortasse igitur Priscianus erravit et quum Medea Iasonem *προληπτικῶς* maritum dixit, id non intelligens verba pecudi marito conjungenda putavit. — De Pacuvii Medo, quae fabula documento est, rariora sectatum esse Pacuvium, post egregiam, quam Welck. huic fabulae navavit, operam unum modo habeo quod addam; qui enim versus apud Cic. de inv. I. 48. ad Herenn. II, 25. leguntur, (apud Both. fr. inc. poët. 26.)

Quum te expetebant omnes florentissimo
Regno, reliqui; nunc desertum ab omnibus
Summo periclo sola ut restituam paro,

eos huic Pacuvii fabulae ita adscribo, ut Medea his verbis Aeetem patrem allocutam esse putem. — Longiorem disputationem Attii Medea requirit, nam de ea ita plane

non constat, ut quod habuerit argumentum ansam disputandi praebuerit hominibus doctis. Ac Welckeri quidem sententia, Attium in hac fabula idem argumentum tractavisse atque Pacuvium in Medo, statim concidet, simulatque ostenderis, fr. 10., quo solo nititur ea sententia, et alia ratione expediri posse. Jam per se incredibile est, id argumentum ab utroque poëta tractatum esse, tum quod non habet, quo animos audientium ita commovere possit, ut alterum poëtam alliciat, tum quod demonstrari non potest, Pacuvium et Attium in eodem argumento elaborando inter se aemulatos esse; una enim fabula, quae hoc suadere possit, Armorum dico judicium, in eodem nomine tamen diversum habebat argumentum. Aliam ingressus erat Manutius ad Cic. ep. ad fam. VII, 6. viam, qui quum locum illum ex Argonautis qui exstat apud Cic. de nat. Deor. II, 35, 89. ad Medeam pertinere sibi persuasisset, Medeam Colchiam fabulae fuisse argumentum statuit. Quae sententia quamvis non digna habita sit, quae accuratius examinaretur, tamen ex omni parte vera ac certa mihi esse videtur. Bothius enim affert in Mus. Rhen. V, p. 279. fr. a se prius neglectum, quod Non. v. conciere ex Attii Medea laudat, hoc:

Nisi quas terrestris pontus strages conciet,

nec vidit hunc ipsum versum esse inter eos, quos Cic. de nat. Deor. II, 35, 89. non addito quidem fabulae nomine ex Attio attulerit; quod Cic. omisit, id Priscian. de vers. Ter. 2. laudatis iisdem versibus affert, dicens versus esse ex Argonautis Attii. Quid igitur alia circumspicimus argumenta, quum satis ex his apparere videatur, Argonautas et Medeam eandem esse Attii fabulam, illo nomine fortasse a grammaticis demum insignitam, ut discerneretur ab Ennii Medea, quam eadem de causa Medeam exsulem appellatam esse supra vidimus. Id unum superest, ut ostendatur, fragmenta huic argumento, quod haud scio an Attius ex Colchidibus Sophoclis mutuatus sit, convenire. Praetermisso igitur prologo, quo pastor navem, cujus adspectus tum primum ei contigerat, ornatissime describit, fragmenta ad tres scenas spectant. Prima Jason adit Medeam. Cognitis enim Aeetae postulatis quum intellexisset Jason, se nisi Medea, quam magicarum artium peritam esse audiverat, adjuvante salvum in patriam redire non posse, hanc sibi propitiam reddere apud animum constituit. Quid enim relinquitur:

Nisi ut astu ingenium lingua laudem et dictis lactem lenibus? (fr. 5.).

Per nuntium igitur a Medea petit, ut sibi eam adeundi faciat copiam. Medea, jam diu Jasonis amore correpta, ejus precibus obsequitur, qua conspecta exclamat:

Tun' dia Medea es, quojus aditum exspectans pervixi usque adhuc? (fr. 6.)

Tum auxilium submissa voce rogavit, ut Ovid. met. VII, 90. verbis utar, cujus narrationem contulisse e re erit, et se eam in matrimonium ducturum esse pollicitus est. Medea cauta non statim se paratam ad auxilium ferendum ostendit, sed primum de vitae vicissitudinibus queritur:

Dominatur fors neque ulli in vita proprium est (fr. 3.),

tum jusjurandum ab Jasone poscit. Is quod postulaverat jurat. se eam nunquam deserturum esse, quod si unquam, inquit, fecero, sim:

Exul inter hostes, exspes, expers, desertus, vagus (fr. 14.),

cf. Ovid. VII, 94—100. Omnibus compositis Jason opus aggreditur, quod quo successu peregerit, idem ille pastor, qui prima scena de Argonautarum adventu exposuerat, refert. Is igitur narrat, se, quum vidisset quid rei gereretur, tutum locum „apud vetustam turrem" (fr. 7.) sibi quaesivisse, unde omnia spectaret:

Ego me extollo in abietem altam, ex tuto prospectum aucupo (fr. 1.),

tum indicat, quo quidque ordine peregerit Jason:

Perite in stabulis frenos immittens feris (fr. 11.),
Primo ex immani ad mansuetum adplicans (fr. 2.),

et exponit quali metu id susceptum prosecuti sint pastores, greges enim ab pastoribus relictos esse:

Vagant, pavore pecuda in tumulis deserunt.
Qui nos pascet postea? (fr. 8.).

Reliqua fr. alius scenae esse videntur. Laboribus enim perfunctus Jason vellus aureum ab Aeeta poposcisse, hic quod non suis viribus Jason istos labores perfecisset, sed a Medea adjutus esset, id recusasse videtur. Quod quum initio negasset Medea, in eam invehitur pater iratus, ad cujus orationem fr. 4. pertinet:

Principio extispicium ex prodigiis congruens te ars arguit.

Contra quem et Jason et Medea suam egisse videntur rem, quorum ille orationem nescio an ita exorsus sit:

Qui potis est repelli quisquam, ubi nullust causandi locus? (fr. 9.)

et id sibi proposuisse videtur, ut justum esse quod posceret exponeret; Medea autem primo misericordem reddere studens patrem admonet periculorum, quae subiisset magno animo Jason, quippe qui coactus esset,

ut tristes turbinum
Toleraret hiemes, mare quum horreret fluctibus (fr. 12.),

sed ubi precibus nihil se promovere vidit, gravi Deorum ira terrere conatur Aeetam, qui perjurum nullis non suppliciis affecturi et ab eo lue et miserabili liberorum interitu graves sint repetituri poenas, ita ut cogatur

Lavere salsis voltum lacrimis (fr. 13.).

Quibus minis animi atrocitate pulsus et horroris plenus exclamat Aeetes: Quid dicis?

Pernifici orbificer*) liberorum leto tabificabili? (fr.10.)

Ita vides, omnibus hujus fabulae fragmentis commodam sedem assignari posse, si mecum statueris Attium Colchidum Soph. argumentum reddidisse. Quod si concedes, fortasse et hoc mihi tribues, versum, quem Non. v. gelu et Prisc. VI. p. 685. ex Prometheo Attii afferunt, ad Medeam referendum esse. Nam versus quos Cic. Tusc. II, 10. et III, 31. ex Prometheo Aeschyli laudat, non Attii, sed ipsius Ciceronis esse, quum jam alii viderint, (sufficiat praeter alios laudasse Stahlberg. de Attii vita et scriptis p. 33—37., qui hac de re enucleate exposuit) ille unus versus restat, magnamque suspicionem movet, erravisse grammaticos et quae omnino apud Attium de Prometheo se legere meminissent, ita protulisse, quasi scripsisset Attius Prometheum fabulam. Jam quum ex argumento Promethei Aeschylei compertum habeamus, Sophoclem in Colchidibus Medeam uberius de Promethei fatis exponentem fecisse, qua de re v. Welcker. p. 335., non plane a vero aberravisse mihi videor, statuens, hanc narrationem et Attium in sua fabula retinuisse.

Absoluta hac quaestione vertamus nos ad eas fabulas, quibus fata Ajacis et Teucri continentur, ad Teucrum Livii, Ajacem et Telamonem Ennii, Teucrum et Armorum judicium Pacuvii, Eurysacem et Armorum judicium Attii. Qua in disceptatione id primum moneamus, ex eo quod unus alterve Latinae tragoediae versus cum hoc illove Graecae tragoediae versu conveniat, non illico consequi, Latinam tragoediam ex Graeca versam esse. Multas enim haec res habet cautiones. Potest versus aliquis locum communem continere, cui nulla in fabula locus non est; potest aliquis versus ita in memoriam Latini poëtae se insinuasse, ut oblata occasione imprudenti excideret; potest denique sciens ac prudens versum aliquem ex alia tragoedia Graeca transtulisse, ut Graecos poëtas ab eadem re non abstinuisse scimus. Id quamquam jam supra monui, hic tamen repetendum duxi: cur ita censuerim jam indicabo. Quis est enim quin videat, Enn. Ajac. fr. 1.:

Anima mistum sanguen tepidum tullii efflantes volant

(ita enim scribendum esse codd. auctoritate nisus evicit Langensiepen. in N. Mus. Rhen. V. p. 251.) ad verbum fere conveniat cum Soph. Aj. v. 917—19,:

οὐδεὶς ἂν, ὅστις καὶ φίλος, τλαίη βλέπειν
φυσῶντ᾽ ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἔκ τε φοινίας-
πληγῆς μελανθὲν αἷμ᾽ ἀπ᾽ οἰκείας σφαγῆς.

Pacuv. Arm. jud. fr. 16. Hermann. Opusc. VII. p. 367. cum Soph. Ajac. 194. contulit: Attii denique Arm. jud. fr. 15.:

*) Ita scribendum videtur pro indic.

Virtuti sis par, dispar fortunis patris,

nonne ad verbum congruit cum eadem fabula Sophoclis v. 550.:

ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοιτ' ἂν οὐ κακός.

Hermann. praeterea l. l. recte observavit Attianae fab. fr. 13. cum Soph. Ajac. v. 462., fr. 4. cum v. 536. fr. 9. cum 762. (cf. etiam Schoell. ad Ajac. 188—89.) congruere. Lobeck. denique ad Ajac. v. 1227. Att. fab. fr. 2. versum esse ex Sophocl. v. 1205. statuit. Quid igitur. putabisne. Ennium. Pacuvium. Attium Sophoclis Ajacem expressisse. idque ita. ut unus Ennius tragoediae suae nomen fabulae Sophocleae dederit? Minime gentium. immo ipsum fabularum nomen clare ostendit. aliud atque Soph. sibi illos delegisse argumentum. Neque vero id concedo. Pacuvium et Attium eandem alius poëtae Graeci fabulam Latine reddidisse. quippe qui putem. quod poëtis Romanorum comicis non licuerit. id neque tragicis licuisse. Ex quibus difficultatum angustiis ut emergamus accuratius in argumenta singularum fabularum inquirendum est. Ac de Ennii quidem Ajace res ipsa docet. esse eam fabulam ex cognomine Sophocl. expressam. Ennius enim vertere solebat poëtarum Graecorum fabulas et hanc quidem eum ex Sophocl. vertisse. tum fr. 1. prodit. tum fr. 2.: „Lumen jubarque in coelo cerno." quod comparandum est cum v. 856—57. Soph.:

σὲ δ', ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας
καὶ τὸν διφρευτὴν Ἥλιον προσεννέπω.

Neque tamen ita secutus esse Sophoclem videtur, ut unquam ab eo discedere piaculum haberet. sed primum in eo ducem reliquit. quod Ajacem furore correptum in hircos illos. quos Atridas et Ulixem esse arbitraretur, in scena ipsa saevientem induxit. Quod ut statuam. movet me tum locus Plaut. Capt. III, 4. 82. ubi Tyndarus de Aristophonte, quem rabiosum esse et deliramenta loqui contenderat. dicit: „Ajacem, hunc quom vides, ipsum vides:" tum Cic. Tusc. III. 5, 11: „Quasi vero atra bili solum mens ac non saepe vel iracundia graviore. vel timore vel dolore moveatur: quo genere Athamantem. Alcmaeonem. Ajacem. Orestem furere dicimus." Quibuscum locis conferas Cic. Acad. II. 28. 89: „Quid loquar de insanis? qualis tandem fuit affinis tuus. Catule. Tuditanus? quisquam sanissimus tam certa putat, quae videt. quam is putabat. quae videbantur. Quid? ille qui

Video, video te. Vive, Ulixe, dum licet,

nonne etiam bis se exclamavit videre. quum omnino non videret?" et de orat. III. 40. 162:

Vive, Ulixe, dum licet,
Oculis postremum lumen radiatum rape!

non dixit cape, non pete — haberet enim moram sperantis diutius esse victurum —: sed rape. Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, dum licet" — et concedes, totum hunc locum ex Ennii Ajace esse petitum nec Ennium dubitasse Romanis id spectandum praebere, quod quominus Graecis repraesentaret verus Sophoclem prohibuit pudor. Neque vero in hac mutatione acquievisse videtur Ennius, sed et alia quaedam immutavit. Ad quae detegenda Plautus mihi idoneus dux erit. Equidem quotiescunque Cistell. actum tertium legi, semper caput quassans exclamavi: Hoccine verum aut memorabile! hoccine a Plauto poëta in reliquis rebus et acutissimo et sanissimo admissum esse, ut Alcesimarchum desperantem, futurum esse, ut puellae quam deperiret, compos fieret, cum gladio in scenam progredientem et haec verba effutientem faceret: „Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum" et tum v. 10: „Utrum hac me feriam, an ab laeva latus?" Haec omnia mihi semper tam puerilia tamque inepta visa sunt, ut essentne vere Plauti mecum cogitarem. Sed quum a tragicis Latinis ad Plautum redissem, et bene memor essem, quotiens Plautus poëtas tragicos risisset ac carpsisset, subiit animum cogitatio, omnem hunc locum ex imitatione scenae alicujus tragoediae esse expediendum. Quid igitur? finge Alcesimarchum agere partes Ajacis Enniani et concedas oportet, vere Aristophaneo more Plautum hic rem gessisse, et locum, quem antea despicatui habueras, nunc summa cum voluptate leges ac releges. Sed quid sentiam, apertius dicendum est. Primum igitur vide, quanta similitudo inter Alcesimarchi illud verbum: Recipe me ad te, Mors, amicum et benevolum, et hoc Sophoclis intercedat, quod est v. 854.: *ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών.* Tum vero Ennius a Soph. Ajace ad Aeschyli *Θρῄσσας* deflexit, de qua fabula hoc narrat schol. Ajac. 833.: *Παραδεδομένου δὲ καθ' ἱστορίαν, ὅτι κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα ἄτρωτος ἦν ὁ Αἴας, κατὰ δὲ τὴν μασχάλην τρωτός, διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα τῇ λεοντῇ αὐτὸν σκεπάσαντα κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἀσκέπαστον ἐᾶσαι διὰ τὸν γωρυτὸν ὃν περιέκειτο. Φησὶν δὲ περὶ αὐτοῦ Αἰσχύλος, ὅτι καὶ τὸ ξίφος ἐκάμπτετο οὐδαμοῦ ἐνδιδόντος τοῦ χρωτὸς τῇ σφαγῇ τόξον ὥς τις ἐντείνων, πρὶν δή τις, φησί, παροῦσα δαίμων ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθει τῇ σφαγῇ, ὁ δὲ Σοφοκλῆς — φιλῶς φησι — κατὰ τί τὴν πλευρὰν μὴ εἰπών.* Id igitur recipiens Ennius, quem omnia cupide arripuisse quae ad augendam Romanorum notitiam rerum mythicarum pertinerent conjicere licet, Ajacem fecit in scena quaerentem, in utram lateris partem gladium dirigere deberet ut morti se daret. — His expositis ad Attii Armorum judicium pergamus quod duabus ex partibus constitisse videtur, quarum altera litigantes et causam suam apud judices agentes fecit Ulixem et Ajacem, altera mortem Ajacis repraesentavit. Fragmentis autem eo certius hic locus assignari potest, quod illam partem Ovid. Met. XIII, 1—381. aemulatus est, haec ad Soph. Ajac. similitudinem ita conformata est, ut Ajacis orationem 545—582. reciperet Attius, tum autem inde a v. 1045. pressius Sophoclem sequeretur, unde adducor, hanc partem

Sophocleae fabulae ab Ennio intactam relictam esse. Unum fr. dubitationem habet. fr. 2:

Hem, vereor, plus quam fas est captivom, hiscere,

de quo Nieberding. p. 19. haec: Ubi ad judices res venit, Ajax postulat ut captivi Trojanorum, ab omni studio liberi, de virtute utriusque decernant: sed repugnat Ulixes, ad quem ironice Ajax: Hem cet., quam explicationem probarem, si scripsisset Attius: Hem, vereor, n e — cet. Neque Hermannum sequor, qui vocabulo c a p t i v o m in captiv a m mutato haec verba ad Tecmessam refert, sed quum cetera fr. non prodant, et Tecmessae partes fuisse in hac fabula, rejecta hac sententia censeo verba esse Teucri conviciis, qualia apud Sophoclem Menelaus in eum effundit, ut v. 1120.: *ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὸν φρονεῖν*, nec minus Agamemnon v. 1228.: *σέ τοι, σὲ τὸν τῆς αἰχμαλωτίδος λέγω* acerbe respondentis. Jam ad P a c u v i i A r m o r u m j u d i c i u m accedamus. In cujus fabulae argumento constituendo ut ab Hermann. Opusc. VII. p. 365 — 68. discedam movet me quum sententia, Attio non licuisse Ulixem cum Ajace de Achillis armis causam ante judices perorantem inducere, quum eum locum jam Pacuvius ei praeripuisset, tum loci quidam in libris ad Herenn. et de inv. In illis enim hoc legitur. I. 11. 18.: „Conjecturalis (constitutio) est, quum de facto controversia est, hoc modo: Ajax in silva, postquam rescivit, quae fecisset per insaniam, gladio occubuit. Ulixes intervenit: occisum conspicatur, e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento videt: capitis arcessit." Eadem res I. 17. 27. et additis causis, quae Teucrum commoverint, ut Ulixem fratris interfectorem haberet II, 19, 28 — 30. commemoratur, quin Cic. de inv. I, 49, 42. ejusdem rei mentionem facit. Jam quum vidisse mihi videar, quaecunque in illis libris rhetoricis exempla de certis quibusdam hominibus petantur, ea aut ex historia aut ex poëtarum commentis sumpta esse, adducor ut credam etiam hanc Teucri et Ulixis litem in tragoedia aliqua dijudicatam esse. Quocunque autem me verto, nullam invenio fabulam praeter Pacuvii Armorum judicium, cui apte tribui possit. Doctus enim ille poëta reconditiora investigans libenter id assumpserit. Accedit quod insaniam ipsam Ajacis jam Ennius ad Sophoclis exemplum tractaverat: quid igitur relictum erat Pacuvio hoc argumentum eligenti nisi ut nova quaedam aucuparetur? Quod si recte conjeci, fabula talis fuerit: „Calchas in concilio principum oraculum Minervae pronuntiat, quo Achillis arma dari jubet fortissimo Graecorum:

Quod ego inaudivi accipite et quid sit, facto opus decernite (fr. 4.)

Agamemnon deinde, quippe qui ipse de praemio fortitudinis certare nollet, proceres provocat, si qui de armis certamen subire vellent:

Qui sese adfines ad causandum volunt,
De virtute his ego cernundi do potestatem omnibus (fr. 1.), et

Qui viget, vescatur armis, ut percipiat praemium (fr. 10.), et
Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant (fr. 5.).

Ludos dicit certamen, ad quod principes jam se parare jubet. Sed reliqui omnes, postquam Ajax, Telamonis filius, et Ulysses in medium processerunt, certamen detrectarunt, quo facto res ad hos duos rediit." Haec recte mihi disputasse videtur Nieberding. Homeri Ilias ab Attio in dramata conversa. Conitzae 1838. p. 17—18., de reliquis dissentio: nihil enim indicat Ajacem et Ulixem in scena causam egisse, sed choro interposito Ajax procedit injuriaque se affectum queritur:

Men' servasse, ut essent qui me perderent (fr. 17.).

Mori melius ratus quam contumeliam acceptam perpeti se proripit. Tum Teucer advenit et de judicio armorum et de furore Ajacis edoctus abit, ut fratrem, si possit a nefariis consiliis revocet. Paullo post Ulixes simili ratione atque prima Ajacis Sophoclei scena apparet, ut Ajacis consilia speculetur, metuit enim sibi ab Ajace:

Nam canis quando est percussus lapide, non tam illum adpetit,
Qui sese icit, quam illum eum ipsum lapidem, quo ipsa icta est, petit (fr. 13.).

Sed locum omnem pervestigans in corpus Ajacis incidit. Sequitur scena illa, a Cicerone indicata. Lis inter Teucrum et Ulixem dirimitur per nuntium, qui qua ratione omnia et singula evenerint exponit. — De Ennii Telamone res expedita est. Herm. enim Opusc. VII. p. 378—82. tam egregiam operam fragmentis hujus fabulae ordinandis ac disponendis navavit, ut pauca sint, de quibus dissentiam. Fr. 6. enim:

Eandem in me suspicionem sceleris partivit pater,

non videtur Teucri esse, qui „cum alio colloquens questus videtur de suspicione patris," sed Telamonis, qui meminit sibi juveni a patre necem Phoci fratris aeque non germani objici. Id autem quum Telamoni modo tum in mentem venire posset, si insontem a se damnatum esse Teucrum comperisset, finis fabulae ita mihi constituendus videtur, ut quum Teucer a patre pulsus naves conscendisset, nuntius ad patrem de felici Eurysacis reditu perlatus sit. Tum senex et morte Ajacis et insontis Teucri damnatione plane fractus tantas in se concipit iras, ut imperio abdicato se ipse in exsilium mittat. Chorus autem quum Telamonem in tantis miseriis conspiceret et consilii plane expertem, fabulam clausisse videtur verbis illis:

Hiccine est Telamo ille, modo quem gloria ad coelum extulit,
Quem adspectabant, cujus ob os Graji ora obvortebant sua? (fr. 9.),

quae verba in mentem nobis revocant similem sententiam, qua finitur Soph. Oed. tyr. Non est igitur, quod propter haec verba cum Welckero p. 1379—80. alteram Ennii fabulam, Telamonem exsulem, statuamus, cujus nec vola nec vestigium apparet. Quamvis

enim Cic. Tusc. III. 18. 39. dicat: „Hujusne vitae propositio et cogitatio aut Thyesten levare poterit — aut Telamonem pulsum patria. exsulantem atque egentem? in quo haec admiratio fiebat: Hiccine est" cet., nihil tamen cogit, ut statuamus, his verbis respici ad Telamonem, qualem Ennius repraesentaverit. Nonne enim Cicero Telamonem, quem extrema fabula Enniana exulatum abire et legisset et vidisset, exulantem animo fingere poterat? Neque illud ut statuamus efficiunt verba: in quo haec admiratio fiebat, quae nihil aliud valere nisi hoc: de quo miratio subiit alios, recte praecepit F. A. Wolf. — Alterum, in quo ab Hermanno dissentio, id est, quod versus illos, quos legimus apud Cic. Tusc. III. 19. 44.:

> Pol, mihi fortuna magis nunc defit quam genus:
> Namque regnum suppetebat mi, ut scias, quanto e loco,
> Quantis opibus, quibu' de rebus lapsa fortuna accidat —

non Teucri esse puto, neque enim de genere gloriari poterat, quippe cui id a Menelao et Agamemnone saepius exprobratum esset, neque recte queri quod regno spoliatus esset, quippe qui ad id nondum accessisset. Neque vero versus illi Hecubae tribuendi sunt, quod fecit Bothius, sed fatendum est, certum iis locum assignari omnino non posse, nisi Telephi sunt Clytaemnestrae misericordiam moventis et auxilium implorantis. Denique potius Welckeri sententiam amplectar negantis p. 197. Tecmessae partes fuisse in hac fabula, quam Hermanni id conjicientis. — Idem fere argumentum tractavisse videtur Pacuvius in Teucro, nisi quod, ut nomen indicare videtur, in hac fabula Teucri fuerunt primae partes, ut in Enniana fabula Telamonis; id certe ex fr. elucet, altercationem inter Telamonem et Teucrum multo fuisse elaboratiorem et pulchriorem quam apud Ennium, fortasse etiam apud Sophoclem, cujus cognominem fabulam secutus esse videtur Pacuvius. Quod ni fuisset, non potuit Cic. de orat. II. 46. 193. ita judicare: „Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, quid Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit." Ceterum dubito an ex fr. inc. Pacuvii ad hanc scenam pertineant fr. 1. 3. 10. 19. Praeterea fr. 23. Teucer nautas adhortatus esse videtur. Fortasse et in eo a Sophocle discessit, quod Oileo partes non dedit, cui si dedisset, Cic. Tuscul. III. 29. 71. non scripturus fuit: „Oileus ille apud Sophoclem," sed apud Pacuvium: et versus ipsi quos istic laudat Cicero, hujus, non Pacuvii esse videntur, quo nomine saepius homines docti errasse videntur, ut, quos versus Cicero ipse vertisset, poëtis tragicis adscriberent. — Plane diversi argumenti fuit Teucer Livii, quod patet ex Varrone l. l. VII. 80. p. 284. ed. Sp.: „Teucer Livii post annos XII a suis, qui sit, ignoratur," quare in argumento fere congruit cum Attii Eurysace, quale id Welckerus p. 198. sq. recte constituisse videtur.

His adjungamus eas fabulas, quibus alii heroes aeque atque Ajax insania correpti repraesentantur, Athamantem dico et Alcmaeonem. Attii Athamantem cur Welckerus

p. 323. ad Sophoclis *Ἀθάμαντα στεφανηφοροῦντα* retulerit nescio, nam quod Attianae fabulae fragmenta ad Athamantis sacrificium spectare putat, quum illa fr. et ad alias revocari possint res, Welckeri sententiam non confirmat. Contra Attium argumentum alterius Soph. Athamantis, si quidem revera Sophocles duas hujus nominis fabulas scripsit, reddidisse ex Cic. de harusp. resp. 18.: „Non sunt illi ejulatus et gemitus Philoctetae tam miseri — quam illa exsultatio Athamantis et quam somnium matricidarum" patere mihi videtur. Cicero enim quum res in scena agitatas Romanisque notas aperte respiciat, in Inone Eurip. autem, quam Livius Andronicus vertit, non magis quam in priore Soph. Athamante Athamas furiis agitatus processerit, sed in sola altera illa Sophoclis fabula, Ciceronem illo loco Attii Athamantem respexisse liquet. Eodem ducunt Cic. loci in Pis. 20, 47.: „Piso Athamante dementior," et Tusc. III, 5, 11.: „quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Ajacem, Orestem furere dicimus" nec minus flebilis Ino apud Horat. A. P. 123. Accedit quod Ovidius, quem fabulas ab Attio exornatas saepius metamorph. libris inseruisse constat, hunc mythum IV, 416—561. recepit, denique quod credibilius est, Romanos atrocissima quaeque summa cum voluptate spectantes potius hac fabula delectatos esse quam altera illa, in qua Athamanti dolis malis uxoris interitus parabatur. De fr. Attianae fabulae sic sentio: Athamas quum ad sanam mentem redisset, scelus a se commissum morte luere decrevit:

Atque ita de illis merui, ut jure haec nunquam miserarem mala (fr. 1.), et
Quojus sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit (fr. 2.).

Amici alicujus eum ab adspectu liberorum occisorum retinere studentis sunt verba fr. 6.:

Priusquam infans facinus oculi vescuntur tui;

cui respondet Athamas fr. 7.:

Veritus sum arbitros;
Atque utinam possim memet obliviscier.

Qui restant tres versus fortasse ad scenam, qua furens inducebatur Athamas, pertinent.

Jam ad fabulas fata Alcmaeonis complexas nos convertamus, ad Epigonos Attii et ad Alcmaeonem Ennii et Attii. De argumento Epigonorum quaerenti licet fragmentis Soph., nam hunc presse secutum esse Attium ex Cic. de opt. gen. or. 6. intelligitur, addere fr. Attianae fabulae. Quod fecerunt quidem jam Welckerus p. 269. sq. et Eckermannus in Melamp. p. 81—88., sed in constituendo argumento valde inter se dissentiunt, Welckero contendente referendam esse fabulam ad illud tempus, quo nondum profecti essent Epigoni in Thebas, Eckermanno ad id, quod bellum feliciter gestum exceperit. Quae controversia jam fragmento 3. a Keilio in N. Mus. Rhen. V. p. 472. ex cod. Charisii aucto ita dirempta est, ut Welckero albi calculi adjiciendi sint; contra Eckermanno assentiendum videtur contendenti, Alcmaeonem etiam in hac fabula furentem

in scenam prodisse; Antiphanes enim loco illo insigni apud Athen. VI. p. 223. b.. quo exponit, quanto facilius poëtae tragici munere fungi possint quam comici. quum inter alia haec proferat:

ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμαίωνα, καὶ τὰ παιδία
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ', ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
τὴν μητέρ', ἀγανακτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
ἥξει, πάλιν τ' ἄπεισι —

non dubitandum esse videtur, quin Sophocles quoque Alcmaeonem insania correptum in scenam produxerit. Fabulam ipsam a Welckero et Eckermanno dissentiens ita compono: Alcmaeon in prologo, quem agit, de patre et de bello septem ducum contra Thebas suscepto exponit; patrem proficiscentem sibi edixisse narrat, ne in bellum ingrederetur, priusquam sui ulciscendi causa supplicium de Eriphyla sumpsisset. Jam bellum contra Thebanos decretum, exercitum coactum, se ducem delectum esse, sed inopem consilii haerere, ut enim patri libenti animo pareat, ita ex altera parte id quominus faciat pietate prohiberi. Ita rem eo deductam esse, ut ab Argivis nullo non tempore corriperetur; quae crimina ut fugeret utque scrupulus, qui se dies noctesque stimularet atque pungeret, ex animo evelleretur, Amphilochum fratrem a se Delphos ad oraculum missum esse, qui de expeditione in Thebas et de matris caede deum consuleret. Quae quum exposuisset Alcmaeon, Eriphyla sola vel cum Thersandro prodit et instat, ut tandem aliquando haesitatione abjecta armis captis exercitum contra Thebas ducat. Eriphylae enim tribuo fr. 2.:

Sapimus animo, fruimur anima; sine animo anima est debilis —

et fr. 5.:

Et nonne Argivos fremere bellum et velle vi vulgum vides*)

Thersandro autem fr. 2. Erigonae, quod cum fr. 3. ad Epigonos referendum esse docuit Bergk. in Mus. Rhen. III. p. 84.:

Quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum obtui
Voltus, quos jam ab armis anni porcent?

et e Soph. fabula fr. 203.:

ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στέρνον οὐ μαλάσσεται.

Hanc scenam ea subsecuta esse videtur, qua Amphilochus ab oraculo rediens magna cum voluptate quam exprimit fr. 3.:

*) Ita enim pro: videt scribendum est.

Sed jam Amphilochum huc vadere
Cerno et loquendi pausa bona nobis datur
Tempusque in castra revorti —

ab Alcmaeone accipitur. Amphilochus oraculum Apollinis jubentis matrem interfici refert. Nihilo tamen minus incertus animi adstat Alcmaeon, et documento est, quam grave sit ei onus impositum: Amphilochus afflictum erigere et ad facinus perpetrandum adhortari studet, v. fr. 1.:

Qui, nisi genitore ulto, nullum dat meis finem miseriis,

et ex Soph. fabula fr. 205.:

πῶς οὖν μάχωμαι θνητὸς ὢν θείᾳ τύχῃ,
ὅπου τὸ δεινὸν ἐλπὶς οὐδὲν ὠφελεῖ;

Neque dubito quin huc referendi sint versus illi (nam versus esse jam Valken. diatr. p. 151, 6. docuit) apud Cic. de invent. I, 50, 94.:

Mulierum genus avarum est;
Nam Eriphyla auro viri vitam vendidit.

Hunc fratrum sermonem Demonassa matris fortasse jussu subauscultando exceperat; partes enim fuisse Demonassae optime vidit Keilius l. l. Ea igitur ad Eriphylen festinat, quae sollicita:

Eloquere propere (inquit) ac meum hunc pavorem expectora (fr. 10.),

addens filiam a se in locum abditum vocatam esse:

Eaque hoc causa, ut ne quis nostra verba cleperet auribus (fr. 11.).

Demonassa nihil non ab Alcmaeone timet:

Ita imperitus stupiditate erumpit se, impos consili (fr. 6.)

Carmine chori peracto Alcmaeon certus consilii prodit:

Quid cesso ire ad eam? Hem, praesto est! Camo collum gravem (fr. 9.).

De colloquio inter Alcmaeonem et Eriphylen habito videndus est Welck., quem hic sequor. Tum Alcmaeon quo magis facinus instat, eo majore perturbatione animi et angore corripitur, donec in furorem conjectus matrem trucidat. Hujus scenae esse puto fr. 13.:

Audisne haec, Amphiarae, sub terram abdite?

ita enim Alcmaeon loquitur, dum mater proditionem suam negans eo fortasse audaciae procedit, ut Amphiarao maledicat. Tertiam personam, quae huic scenae interest, non nutricem esse, quod statuit Welck., sed Demonassam, ex fr. a Keilio reperto apparet. De ultima scena, qua expostulabat Adrastus de caede Eriphyles cum Alcmaeone, recte vidit Welck., a quo ita modo dissentio, ut fr. 8.:

Nunc pergam, ut suppliciis placans coelitum aras expleam

ad extremam fabulam, concordia inter illos heroas restituta, pertinere censeam. Fr. 12., quod solum restat, corruptius est, quam de quo certi quid definiri possit. -- Alcmaeonem scripserunt Ennius et Attius, quorum illum Eur. Alcm. in Psophide secutum esse statuit Welck. p. 576., et quum bis Psophide fuerit Alcmaeon, putat Welck., Eurip. fabulam de priore ejus adventu egisse. Quem qui sequitur O. Jahn in Telepho p. 34—35. tres cur ita statueret rationes attulit: primum enim Alcmaeonem dementem et furiis agitatum in scenam prodisse et ex aliquot comicorum locis, quibus addere poterat Plaut. Capt. III., 4, 30., et ex fr. Ennianae fabulae elucere; quam causam sublatum iri simulac locos illos comicorum et fr. Ennianae fabulae ad Eur. Alcm. in Corintho rettuleris, apparet. Tum vero contendit, virginem, cujus fidem implorasse Alcmaeonem Cic. Acad. II., 28, 89. tradat, posse nullam aliam esse, nisi Alphesiboeam. At enim Alcmaeon, nisi cum Alphesiboea solus erat, ejus fidem implorare apte non potuit; quare adducor ut Hartungo II., p. 536. locum Ciceronis de Tisiphona intelligendum esse censenti assentiar. Imago denique in vasis depicta, quam affert Jahnius, nihil demonstrat: quis enim ille adolescens in pictura conspicuus sit, ipse se nescire fatetur Jahnius. Quamvis igitur illa pictura ad Alcmaeonem pertineat, tamen non illam, quam Welck. et Jahn. statuerunt scenam repraesentat. Contra Eur. Alcmaeonem in Corintho secutum esse Ennium, recte contendisse mihi videntur et Matthiae et Hartung. II., p. 534., verumtamen id non eo probandum erat, quod Enn. fabulae fr. ad Furiarum cruciatus fere omnia pertinerent, talem enim scenam in Euripidis fabula exstitisse ex paucis hujus fabulae reliquiis non apparet, sed eo, quod Cic. de fin. IV., 23, 62. Ennii Alcmaeonem virum bonum appellat, quod in Alcmaeonem in Psophide non quadrat, et quod cum virgine, cujus fidem implorasse dicitur, nisi in Eur. Alcmaeone in Corintho in scenam non prodit. Jam vero quem poëtam secutus est Attius? Si Welckerum p. 279. sq. audis, Sophoclem, si Hartungum, Euripidem. Optio igitur data est. Ac Welckerus quidem nihil habet quod afferat, nisi quod Attianae fabulae fr. 6. cum Sophoclis fr. inc. 749. congruere contendit, unde sequi, et illud Sophoclis fr. ad Alcmaeonem pertinere et Attium fabulam suam ex Sophocle vertisse. Quam sententiam rejiciendam esse quamquam probavit Hartung. I., p. 188., tamen Euripidis fabulam ab Attio versam esse non confirmavit: licet enim fr. 7. Attianae fabulae reddat sententiam fr. 22. Eur. fabulae, tamen huic rei ne nimis tribueretur jam supra monuimus. Quare ita fortasse statuendum est, Attium neutri poëtae se addixisse, sed liberius argumentum suum tractavisse. Eur. fabulae fr. autem rectius Welckero Hartungus, Jahn., Schoell. de trag. poës. Graec. p. 132. sq. ad alterum Alcmaeonis Psophidem adventum retulerunt, modo ne fr. 5. cum Welckero Alcmaeoni tribuisset Hartungus, quod chori, qui ex mulieribus Psophidiis constabat, esse bene ostendit Meineke in Bergkii et Caes. ephem. 1846. p. 1084.

In Alexandri argumento constituendo nec Welcker. p. 462. sq. neque Hartung. II. p. 233. sq. ubique verum invenisse mihi videntur, quod adjunctis Ennianae fabulae fragmentis Euripidis Alexandrum componere conati sunt; fabula enim Euripidea ita ferebat, ut Ennio pluribus in rebus ab Euripide discedendum esset. Primum enim Ennius spectatoribus qualis ésset mythus, quo fundamento nitebatur fabula, multo accuratius describeret oportebat, quam Euripides, cui id modo agendum esset, ut qualem ipse constituisset mythum spectatores doceret. Quare ita rem instituisse videtur Ennius, ut prologum tribueret Veneri, cui bene convenire versum illum: „Volans de coelo cum corona et taeniis" recte vidit Hartung. II., p. 235., sed non debebat Enn. fab. fr. commotus easdem partes in fab. Eur. ad Venerem deferre, praesertim quum Welck. bene docuisset, ab Hecuba illic esse prologum actum. Tum vero fieri non potuit, quin Ennius scenam illam, qua Deiphobi accusatio et Alexandri defensio continebatur, valde mutaret, verendum enim ei erat, ne si quae Alexander apud Eur. disserebat, nobilitatem non opibus, sed virtute terminari, et fere divites ignavos esse, egenos autem, quod pericula et labores adire necessitate cogerentur, fortes se ac strenuos praestare; denique neminem pro servo habendum esse, qui mortem contemneret, in suam fabulam recepisset, Romanorum animi valde offenderentur; nec verisimile est, Ennium haec vertisse, quum constet, poëtam ipsum ab optimatium partibus stetisse. Quare haec omnia in brevius contraxisse puto Ennium, apud quem Deiphobus haud cunctanter gladio stricto impetum in Alexandrum fecit, quem ille ad Jovis aram insiliens evitavit. Hartungus autem duplicem causae actionem fingit, priorem illam, quam modo dixi, de natalium splendore, qua finita Priamus Alexandrum ad se receperit, alteram, qua Alexander, ut Priami filios, qui conspiratione facta aemulum de medio tollere constituissent, effugeret, in aram dei domestici insiluerit; quae omnia dici non potest, quantopere a vero abhorrere videantur, neque enim cur Priamus Alexandrum domum suam receperit, neque cur Euripides duplicem causae actionem instituerit, ullo modo intelligi potest. Ut in hac re Hartungum falsa pro veris complexum esse puto, ita persuasum habeo, non assentiendum esse ei statuenti, chorum ex virginibus constitisse. Intelligi hoc putat ex fr., quod est apud Cic. div. I., 31, 66., ubi Cassandra „virgines aequales" alloquatur, sed praeterquam quod Cassandra ut quae regiae esset stirpis nisi comitibus stipata scenam non ingrediebatur, erravisse Hartungum tum ex eo elucet, quod Hecuba prima fabula virginibus comitibus progredi apte non potuit, cui matronae aequales convenirent, tum quod carmen illud, quo veram nobilitatem non tam in natalium splendore, quam in virtute positam esse docebatur, omnino non mulierum choro conveniebat. Non sum quidem nescius, quid in simili causa Firnhaberus in Jahnii Annal. XXXI., p. 132. contra Sommerum disputaverit, sed locus Pollucis IV, 111. nihil ad rem facit, carmina vero chorica Medeae, Iphigeniae Aul., Helenae, Alcestis, quae affert Firnhaber., et accommodatissima

sunt conditioni, in qua mulieres illarum fabularum conspiciuntur, neque cum hoc carmine ullo modo comparari possunt. Sed ut ad Ennium revertar, videtur is mihi quod priore scena omiserat compensavisse illis, quae magnifice extrema fabula exposita erant. Quae enim Hartung. et de Alexandro refert, qui classe parata cives in Graeciam ad petendam Helenam se duce proficisci jusserit, et de Cassandra, quae diris ominibus et tristibus vaticinationibus bellum, incendium patriae, internecionem civium, parentum, fratrum praedixerit et communem laetitiam interpellaverit, ea omnia quin in Enniana fabula locum habuerint non dubium est, nego vero quidquam eorum in Euripidea fabula exstitisse. quae enim Euripideae fabulae fragmenta a Welckero et Hartungo huc relata sunt, ea non additis fabularum nominibus afferuntur omnia, nec quidquám nisi comparatio Ennianae fabulae utrumque virum commovit, ut ea ad hanc fabulam referrent.

Priusquam de Ennii et Attii Andromeda disseram, facere non possum, quin quae Scaliger ad Varr. V. p. 28. ed. Sp. de his fabulis rectissime judicavit praemittam: „Scripserunt Andromedam tres summi poëtae veteres, Livius Andronicus, Ennius, Attius. Ex his Attius raro vertit integras fabulas e Graecis, sed de suo edidit, ut Andromeda quoque ex illius inventione esse videatur, non ex aliquo poëta Graeco; Livii Andron. ex Andromeda Sophoclis potest derivata esse, nam Ennii Andr. quin sit Euripidis interpretatio, ne dubitari quidem potest." In fabula Euripidea constituenda tum Welck. p. 644. sq. tum Hart. II. p. 344. sq. saepius lapsi mihi esse videntur, quod qualis fuerit fabula, adhibitis Attii fragmentis eruere conati sunt. Sed quum omnia indicent, Attium plane recessisse ab. Eur., nec quidquam doceat, ubique Ennium Eur. vestigia pressisse, imaginem Andromedae Eur. ex solis hujus fabulae fr. finxisse tutissimum erit. Huic igitur rei operam dabo, ita tamen, ut quas partes ab aliis jam recte constitutas putem, praetermittam. Ac prologum quidem huic fabulae defuisse rectissime mihi videtur Welck. contendisse p. 647. Quod improbans Hart. prooemium trimetris conscriptum non minus huic, quam reliquis Eur. fabulis praemissum esse statuit. Cui sententiae quum adversetur schol. ad Arist. Thesm. 1065. assentitur Hart. Fritzschio, qui p. 457. *τοῦ προλόγου εἰςβολὴν* illam prologi partem dictam esse censuerat, quae post prooemium sive orationem dictam ad spectatores plerumque quidem colloquium, interdum vero etiam canticum sive monodiam continuerit, postea tamen in Bergkii et Caes. Ephem. 1845. p. 1035. hanc quidem interpretationem retractavit, sed schol. testimonio fidem esse habendam duabus de causis ex re ipsa ut putat depromptis negavit. Quarum prior haec est, quod verbis: *πόρρω δὲ πρὸς τῆς παρθένου θοινάματα* omnino nullus nisi in prologo locus tribui possit, in hanc enim partem nec in ullam aliam quadrare ista verba, cibum pone virginem expositum esse. Quam interpretationem tametsi Welck. comprobavit, tamen dubito, num pone virginem Graece dicatur *πρὸς τῆς παρθένου*; tum vero mirum me

habet, quod idem ille Hart., qui ista ita interpretetur, et Attium Eur. fab. vestigia pressisse contendat, non dubitaverit statuere, fr. 8. fab. Att. Andromedae verba esse:

Misera obvallata saxo, senio, paedore alguque et fame,

Nam quibus causis motus Hart. Andromedam pari ac Tantalum poena affectam esse putaverit, plane me fugere ingenue fateor, nisi forte teneram illam virginem mirae fuisse edacitatis sibi persuasit vir summus. Alteram Hart. causam ex verbis Eur. *κῆτος θοάζον ἐξ Ἀτλαντικῆς ἁλὸς* repetiit, quae non minus soli prologo convenirē neque in narrationem nuntii de certamine Persei cum ceto inito quadrare censet; monstrum enim marinum quum impetum in Perseum fecisset, non ex mari Atlantico irruisse, sed statim ab initio ex hoc in mare rubrum penetrasse. Id unde cognoverit Hart. scire pervelim, ex fragmentis certe quidem non cognovit: quare conjicio, ex suae doctrinae copia prompsisse id virum doctissimum. At tum verendum est, ne quid inculcaverit poëtae, id unum cogitanti, quo modo fabulam exornaret, nec caventi, ne geographiae neglectae poenas daret. Et quid tandem, habuitne Eur. accuratiorem Aethiopum terrae scientiam quam Herodotus? Nego. Herodotus autem Aethiopibus sedes tribuit in parte australi Libyae ab Oceano s. mari Atlantico circumfusae: quin haec docet I, 202.: *ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη καὶ ἡ Ἐρυθρὴ μία τυγχάνει οὖσα.* Quid multa? conjungenda esse illa duo fr. rectissime observavit Fritzschius, qui omnino de hac fabula optime meritus est; nec dubito assentiri Meinekio in Bergkii et Caes. Ephem. 1843. p. 187. statuenti, versus illos ad nuntii narrationem hac subjecta sententia pertinere: vidi cetum ex mari emergens, ut Andromedam devoraret. Sed res nondum confecta est. Licet enim id pervicerimus, istos versus non esse ex prologo desumptos, tamen nondum demonstratum est, defuisse fabulae prologum trimetris conscriptum. At quis egerit prologum? Si Fritzschium audis p. 494. Cepheus vel Cassiopea. At nulla causa cogitari potest, quae parentes moverit, ut cito a scena redirent; proxima enim scena eos non adfuisse per se patet. Multo minus probari potest Hart. sententia Echus fuisse prologum statuentis. Quid? Echo, quam non didicisse perpetua oratione uti Ovid. Met. III., 359. refert, subito loquaciter de terrae Aethiopicae historia in prologo exposuisse putanda sit, tum autem obmutuisse nec quidquam praeter ultimas lamentorum voces repetere potuisse? et quid putas Andromedam egisse, dum Echo narrationem absolveret? Immo rectissime monuit Welck., Andromedae conditionem ab initio spectatoribus conspicuae coëgisse Eur., ut de more suo discedens fabulam ab Andromedae monodia exordiretur; in eo autem auctoritati viri summi obsequi non possum, quod censet, hac monodia finita Perseum in scenam prodisse, chorum autem tum demum apparuisse, quum Perseus ut conveniret Cepheum abisset, et Andromedae lamentationibus concinuisse, Echo autem lamenta reddidisse, dum Andromeda eam ut taceret obtestaretur.

Sed quando Perseus primum in medium progressus sit, quum bene docuerit Fritzschius p. 473. nihil nisi id addo, Echo una tantum scena produci potuisse, unde sequitur, ut chorus statim finita monodia prodierit. Id recte vidit Hart., in eo autem errasse videtur, quod jam Andromedae parentes una cum Phineo scenam ingressos esse contendit. Quod ut statueret, nihil nisi aliquot Att. fab. fr. eum adduxerunt, nec vidit, quas difficultates sibi ipse crearet. Quid enim respondebit quaerenti, quid commoverit parentes cum Phineo, ut mox abirent, et quas partes inter eorum colloquium Andromedae tribuat? An ut tranquilla et muta jaceat? Quibus difficultatibus quum se ipse obruerit Hart., cum Fritzschio statuendum est, jam Perseum in medium progressum esse. Proximas contra scenas recte mihi videtur Hart. constituisse: Perseus enim Andromedae fide accepta Cepheum advenientem adit, cui quum quis esset et quid se praestaturum esse promitteret, exposuisset, pater ei Andromedam uxorem spondet. Profecto tum ad certamen Perseo chori carmen intercedit, quo absoluto pastorum aliquis certaminis rationem eventumque exponit, omnesque victori accedenti gratulatum obviam eunt. Haec igitur omnia recte constituit et exposuit Hart.; sed minus prospere ei res cecidisse videtur in iis quae restant. Rixam enim non a Cepheo ortam esse persuasum habeo: neque enim video, qui fieri potuerit, ut fidem subito mutaret; sed a Cassiepea, quam tunc demum prodisse puto. Ea enim, quae antea sententiam non esset rogata, facilius filiam Perseo denegare potuit. Ut mulier, externa bona in summo habet honore et intolerabile putans, generum *νόθον* esse, ut, qui filiam in matrimonium petat, et genere et divitiis polleat, efflagitat. Haec bene in Cassiepeam conveniunt, male in Cepheum, quippe cui Hart. ipse superiore scena verba haec dederit:

Χρήμασιν γὰρ εὐτυχῶ,
Ταῖς συμφοραῖσι δ' ὡς ὁρᾷς, οὐκ εὐτυχῶ.

Cassiepea obloquendo et obnitendo postremo et Cepheum adducit, ut se Andromedam, a qua antea modo petierat, ne se relinqueret, Perseo in matrimonium daturum esse neget. Quo facto Perseus Cephei perfidia exacerbatus jam in eo est ut Medusae caput proferat, quum Minerva descendit, Perseo virginem dari jubet et quum futuros Persei casus, tum honorem, quo quondam Andromeda usura sit, stellis addita, praedicit. Hunc Eur. fab. finem statuo, nec Phinei ullas partes fuisse censeo; in locis enim, quos Hart. p. 359. affert, ut demonstret, Perseo inter convivium insidias structas esse a Phineo, Aethiopum et craterarum mentio fit; quare ad pastoris narrationem referendi esse videntur exponentis quomodo Aethiopes Perseo gratum animum ostenderint. At quid facies versu illo Ennii:

Quid fit? seditio tabetne an numeros augificat suos? (fr. 10.)

nonne is Hart. explicationi favet? Concederem, nec amplius viro summo obloquerer,

si demonstrasset esse hunc versum, qui apud Nonium ex Andromacha affertur, ex Andromeda desumptum. Sed Nonii auctoritas non Hartungum solum, sed etiam neque Welckerum, neque Bothium retinuit, quominus hunc versum Andromedae adscriberent; scilicet ut certamen Aethiopum cum Perseo ab Ovid. Met. V, 1. sq. et Apollod. II, 4, 3. descriptum huic fabulae vindicarent. — Ennium vertisse hanc Eur. fabulam quum per se verisimile sit tum confirmatur loco apud Varr. V, 8, p. 28. ed. Sp., quem ex Andromedae monodia conversum esse recte jam vidit Scaliger, neque tamen Bothio eum locum inter fr. Andromachae (fr. 12.) reponenti persuasit. Quanta autem diligentia usus sit Enn. in vertenda hac fabula, cognosci non jam potest. Longe alia ratio Attianae fab. esse videtur; neque enim eodem modo quo Eur. tragoediam exorsus est, sed colloquio inter Cepheum et Phineum (cui non dubito hic primas deferre), de quo bene exposuit Hart. in Bergkii et Caes. Ephem. 1842. p. 830., modo ne quod Att. fab. bene vindicasset, in Eur. male transtulisset. Ceterum Attius rem eodem ordine instituisse potest quo Ovidius exponit, praeterquam quod Cepheus a filia petit ne se deserat, sed quum pertinaciter propositum teneat, a precibus desistit. Spectatores igitur in hac fab. Andromedam rupibus alligatam omnino non adspexisse videntur. Fr. 8. enim neque propter v. senio, neque propter v. fame huc referri potest, quum non sit cur tantae crudelitatis parentes reos faciamus, ut cibos Andromedae non praebuerint. Ante adventum Persei Cepheum cum Cassiepea inter se collocutos esse e fr. 2., 4., 5. apparere videtur. Reliqua fr., quae quidem quorsum spectent intelligi possit, fortem Andromedae animum, quo perstat in consilio Persei non relinquendi demonstrant. Superest versus a Nonio s. v. immane ex Automedia Attii allatus:

Immane te habeat templum obvallatum ossibus —

quem homines docti Andromedae adscripserunt. Ac Welck. quidem p. 657. satis putavit, eum ad pastoris narrationem de certamine Persei cum ceto inito retulisse, nec ulla littera indicavit, quomodo haec verba ad illam narrationem quadrarent, aut quid vellent. Neque audiendus est Stahlberg. p. 20., qui verba exsecrationes esse Persei in cetum putat. Hart. p. 355. deleta v. te et comparato loco Philostrati: *τὸ μὲν κῆτος ἔρριπται πρὸ τῆς ἠϊόνος*, interpretationem hanc profert: „Viscera dicit in mare abjecta, ossa in acervum congesta esse, qui instar magni aedificii erigeretur." — En nobis Oedipum subito factum ex Hartungo! Mihi non dubium esse videtur, quin pro Automedia scribendum sit Hippodamia, et versus ad Attii Oenomaum pertineat. Quod quo spectet ut rectius intelligatur, de hac fabula paucis videtur esse disserendum.

Attius utrum in Oenomao Sophoclem an Euripidem secutus sit discerni nequit, neque enim Welck. p. 352. quidquam protulit, quo sententiam suam, Attium se ad Soph. exemplar composuisse stabiliret, neque Hartungo II., p. 104. concedendum est,

ex eo quod Attii verba: „atque ea conjectura auguro" versa essent ex Eur.: *τεκμαιρόμεσθα τοῖς παροῦσι τἀφανῆ* sequi, imitatum esse Latinum poëtam Eur. Quis enim non videt, talem sententiam, ut in fabula Eurip. ita in Sophocl. locum habere potuisse? Sed fortasse neutrum secutus est, sed ex utroque quod in rem esset assumpsit Attius. Neque vero id concedere possum Hartungo, Eur. in eo ab Hygino (fab. 84.) recessisse, quod non clavos rotis detrahere Myrtilum, sed terriculamentum aliquod in curriculo infodere, quo equi consternarentur, jussisset Pelops, neque enim id suadent Attii verba fr. 1.:

> Fer te ante Auroram, radiorum ardentum indicem,
> Quum e somno in segetem agrestes cornutos cient,
> Ut rorulentas terras ferro rufulas
> Proscindant glebas arvoque ex molli excitent.

Quae verba si eo modo, quo Hart. jubet, accipiuntur, fabulae actionem bidui fuisse statuas necesse est, quum cursus postridie ejus diei, quo ista verba dicebantur, mane institui dicatur. Rectius Welck. haec verba ita interpretatus est, ut diceret Hippodamiam Pelopem adhortari, ut summae studeret in certamine celeritati; quamquam et haec explicatio non ab omni parte probanda esse videtur. Sed qualiscunque sententia in istis verbis inest, id pro certo habeo, in Eur. fab. Oenomaum in cursu ipso interisse, sive a Pelope hasta transfigebatur, quod Eur. Iphig. Taur. 825. tradit, sive equis perterrefactis interficiebatur, nec video, qui Hartungo in mentem venire potuerit, ut statueret, Oenomaum victum prodisse, longa oratione de sorte hominum et de remediis malorum philosophatum esse, subtiliter investigasse, utrum melius esset liberis frui an carere et his quaestionibus absolutis gladio se percussisse. Immo istorum fr. pars ad prologum referenda est, quem Oenomao rectius cum Welck. quam Hippodamiae cum Hart. tribues. Tum egregia Att. fab. scena ea fuisse videtur, qua Hippodamia Pelopis amore inflammata et priorum procorum misera fortuna exterrita Pelopis vitae timet eumque a certamine ineundo deterrere studet. Ne committas te isti certamini, dixerit, priorum procorum fatum tibi impendet, quorum capita super templi valvas, tristia monumenta, adspicis (Hygin. 84., Ovid. in Ib. 367.). Jam vide quam commode haec fr. conjungantur:

> Atque ea conjectura auguro, ut
> Immane te habeat templum, obvallatum ossibus,*) (fr. 10.).

Ut igitur hunc versum Andromedae falso adscriptum esse puto, ita supra de eo versu idem contendi, qui quamvis a Nonio Andromachae tributus sit ab hominibus doctis tamen

*) V. ut addidi. Aliud hujus fab. fr. adhuc neglectum latere videtur apud Cic. ep. ad fam. IX, 16, 6., ubi, posteaquam hujus fab. mentionem fecit Cic., ita pergit: Illam Attii similitudinem non jam ad invidiam, sed ad fortunam transferam, quam existumo levem et imbecillam ab animo firmo et gravi tamquam fluctum a saxo frangi oportere.

ad Andromedam relatus est. Optime autem eum in illam fabulam quadrare ut demonstrem, in argumentum hujus fabulae inquirendum est, quam *ζήτησιν* quamvis ex omni parte solvi posse diffidam, nonnulla tamen rectius constitui possunt, quam a Welck. constituta esse video. Is enim quum de Andromacha in Molosside cogitaret, plane a vero aberrasse mihi videtur. Patet id ex Cic. Tusc. III, 22, 53.: „Quod ita esse dies declarat: quae procedens ita mitigat, ut iisdem malis manentibus non modo leniatur aegritudo sed in plerisque tollatur. Karthaginienses multi Romae servierunt; Macedones — hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare: Haec omnia vidi — sed jam decantaverant." Ex quibus verbis dilucide apparet, recens malum ab Andromacha deploratum esse, quare non dubium est, quin Andromacha, qualem se post ipsum Trojae excidium gesserit, hac fabula repraesentata sit. Eodem ducit cognomen Aechmalotis (ita enim Rothius verissime correxit), a grammaticis, ut discerneretur ab Andromacha Naevii, additum. Jam nobis de fab. argumento quaerentibus statim occurret locus ille Cic. pro Sext. 56—57., de quo praeclare meriti sunt Madvig. et Bergk. quaest. Enn. p. VIII., docentes, qui versus usque ad §. 122. laudati essent, ex Ennii Andromacha desumptos esse, tum demum Ciceronem se ad Attii Eurysacem convertisse. Sed nova oritur quaestio, quis ille fuerit, de quo Cicero haec dicta esse profert:

> Quid enim? Qui rempublicam animo certo adjuverit,
> Statuerit; steterit cum Achivis re dubia
> Nec dubitarit vitam offerre, capiti nec pepercerit,
> Summum amicum summo in bello — —

Praeter Ajacem, Oilei filium, neminem invenio, de quo haec apte dici potuerint; de illo autem Proclus haec refert: *Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀϊλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον, ἐφ᾽ ᾧ παροξύντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βούλονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου.* Plura v. apud Welck. p. 162. Ita igitur rem institutam esse puto: prima fabula captivae Trojanae magno tumultu in castris Graecorum orto perturbatae quaerunt, quid rei geratur. Tum rumor ad Trojanas pervadit, Graecos in eo esse ut Ajacem Oilei filium lapidibus cooperiant; sed quae culpa fuerit Ajacis, indicare nuntius non potest. Tum vero Andromacha, iram Graecorum ob satis levem causam ortam esse suspicans verbis illis a Cicerone allatis in Graecos invehitur eosque levitatis accusat et ingratum iis exprobrat animum. Dixisse enim Andromacham illa verba apparet ex Cic. l. l. Aesopus enim et haec: Quid enim? cet. et lamentationes illas Andromachae: Haec omnia vidi inflammari egit (cf. etiam Cic. de orat. III., 26, 102. „Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu quo potest — Quid ille alter: Quid petam praesidi? quam leniter, quam remisse, quam non actuose! instat enim: O pater, o patria," cet., ubi ille alter Aesopus est, non Roscius, quod falso contendit Grysar. in diurn. schol. 1832. p. 369.). Potuit quidem fieri, ut Aesopus plures personas